LECTIONES STOBENSES

QVIBVS

AD AVDIENDAM DE TRAGICIS MINORIBVS ORATIONEM

QVA

PRO AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS VENIA

SCHOLAS IN

VNIVERSITATE HALENSI CVM VITEBERGENSI

CONSOCIATA

A SE HABENDAS AVSPICABITVR

DIE IX. MENSIS MARTII HORA XI

OMNI QVA PAR EST OBSERVANTIA

INVITAT

OTTO HENSE

HALIS

TYPIS B. G. TEVBNERI LIPSIENSIS

MDCCCLXXII

Dies me deficiat, si enarrare velim quam multa et egregia in Graecis imprimis scriptoribus unus ille, quem unice admiramur, praestiterit Augustus Meinekius. Nuper vero, ubi tristis nuntius adlatus est mortem obiisse virum humanissimum, ut iam, quod olim desiderabat, ei 'respirare ex diutino et aerumnoso labore concessum sit', tale quid puto in hominum doctorum ore fuisse: ipse quidem senex venerabilis ex alma luce decessit, nomen eius, donec Graeca studia inter nos vigebunt, numquam obscurabitur. Atque in Ioanne Stobaeo, in quo diu ille multumque versatus est, nulla dissensio est, optime et de florilegio et de eclogis editione sua Meinekium meruisse, nec facile reperiri puto, qui aequiperet editorem recentissimum vel doctrinae copia vel si ingenii respicis subtilitatem. Sed tanto magis nos fidem habebimus viro veritatis semper eximie amanti, cum in praefatione florilegii (t. IV p. LXXXIV) ipse fateretur: 'etsi sexcentis minimum locis Stobaeus nunc emendatior editus sit quam antea edebatur, tamen haec pauca existimanda sunt prae ingenti vitiorum multitudine, quae medelam adhuc exspectant.' Tanta est igitur librorum manu scriptorum ubique pravitas, tot cuiusvis generis corruptelis maculatus est etiam optimus et absolutissimus qui habetur liber Parisiensis (A). Quae cum ita sint (alia autem accedunt, quae vixdum in disceptationem vocata sunt, velut quibusnam subsidiis usus Stobaeus opus suum conscripserit), etiam postero tempore haud unius hominis strenuo labore opus erit, priusquam talem librum in manu habeas qualem esse oportet. Ac si quis, id quod maxime ad scriptorem quemvis emendandum interest, propriam quam sequatur normam ac rationem sibi praescribere velit, hoc quo modo possit institui, ipse Stobaeus tamquam digito monstrat. Et in florilegio et in eclogis non solum eorum scriptorum fragmenta proferuntur, qui, si pauca quaedam hic illic dispersa exemeris, fere toti nobis hodie erepti sunt, sed una comparent

etiam eorum sive longiores sive breviores loci, qui feliciorem quam illi sortem nacti ad hunc diem in omnium manibus sunt. Haec igitur, quae, si nova quaedam necdum edita eorum loco reciperare posset, Stobaeo quivis facile remitteret, eadem nobis in arte critica factitanda haud spernendum subsidium adferre in propatulo est.

Etenim si voles compertum habere, quo modo Stobaeus vel Stobensis operis librarii in illis fragmentis, quibus saepe frustra incumbis, versati fuerint describendis, eos antea adeas, respondeo, locos apud eundem Stobaeum exstantes, ubi cum auctorum libris manu scriptis qui superstites sunt (si modo eosdem locos integros servaverint) comparationem instituere poteris. Talis conlatio non uno nomine hodie quoque utilis erit et procul dubio etiam ad eorum locorum emendationem, qui a solo Stobaeo adservantur, instructiores nos reddet. Quoniam igitur de codicibus florilegii, aut qua ratione alius ab alio differat aut quanti quisque ducendus sit, nihil nunc habeo quod post Gaisfordum addam, liceat tamquam in limine huius dissertationis, quae quidem imprimis florilegii aliquot locis operam qualemcunque impendet, huiusmodi conlationis specimen praemittere. Et quamquam non dubito, quin etiam luculentius aliquod substitui possit, Euripidis unam saltem fabulam deligamus, cuius singuli loci qualem in formam apud Stobaeum abierint, facile est comparatu. Chartae tamen et verbis ita parcemus, ut levidensibus missis potiora tantum proferamus.

Velut si S u p p l i c e s spectas, quae fabula in secunda quam hodie vocamus Euripidis codicum classe legitur, equidem non sum nescius locos aliquot esse, ubi dissensus lectionum Stobensium fere nullus sit: conferantur fabulae versus*) 40—41, 429—431, 463—464 cum flor. tit. 85, 4; 49, 1; 106, 6: nec non alios esse, qui in Stobaei libris praestantiorem habitum prae se ferant quam in integrae tragoediae codicibus. Sic imprimis versus 433 e. q. s., 479, 481 ex flor. 44, 6; 110, 13; 55, 6; 1, 5 emendantur. Sed non minus frequens, ut lenius dicam, eorum versiculorum numerus est, qui vel in deterioribus illis quos dico codicibus Euripideis (*B* et *C* sunt sigla Kirchhoffii) praestabiliores leguntur quam apud Stobaeum. Atque harum quidem lectionum diversitatem nunc quam brevissime describere liceat.

---

*) Nauckianae editionis tertiae (a. 1871), quam sequimur.

Versus 238 sqq. Euripidis codices tales exhibent:

τρεῖϲ γὰρ πολιτῶν μερίδεϲ· οἱ μὲν ὄλβιοι (οἱ γὰρ ὄλβιοι *C*)
ἀνωφελεῖϲ τε πλειόνων τ᾽ ἐρῶϲ᾽ ἀεί·
οἱ δ᾽ οὐκ ἔχοντεϲ καὶ ϲπανίζοντεϲ βίου
δεινοὶ νέμοντεϲ τῷ φθόνῳ πλεῖον μέροϲ
εἰϲ τοὺϲ ἔχονταϲ κέντρ᾽ ἀφιᾶϲιν κακὰ
γλώϲϲαιϲ πονηρῶν προϲτατῶν φηλούμενοι·
τριῶν δὲ μοιρῶν ἡ ᾽ν μέϲῳ ϲώζει πόλειϲ
κόϲμον φυλάττουϲ᾽ ὅντιν᾽ ἂν τάξῃ πόλιϲ.

In Stobaei flor. 43, 10 variae lectiones hae sunt: v. 239 ἀνωφελεῖϲ δέ, 243 γλώϲϲῃ — φιλούμενοι, 244 ἡ μέϲῃ ϲώζει πόλιν, 245 φυλάϲϲουϲ᾽ — δόξῃ πόλει.

Versus 267—270 integra fabula tales habet:

μὴ δῆτ᾽· ἔχει γὰρ καταφυγὴν θὴρ μὲν πέτραν,
δοῦλοϲ (δοῦλοι a m. sec. *B*) δὲ βωμοὺϲ θεῶν, πόλιϲ δὲ πρὸϲ πόλιν
ἔπτηξε χειμαϲθεῖϲα· τῶν γὰρ ἐν βροτοῖϲ
οὐκ ἔϲτιν οὐδὲν διὰ τέλουϲ εὐδαιμονοῦν.

Idem est in flor. 105, 18, nisi quod ἔχει τοι habet cod. A, et in altero versu βωμόν.

Versus 312 sq. in totius fabulae contextu sic scripti leguntur:

παῦϲαι· τὸ γάρ τοι ϲυνέχον ἀνθρώπου πόλειϲ
τοῦτ᾽ ἔϲθ᾽, ὅταν τιϲ τοὺϲ νόμουϲ ϲώζῃ καλῶϲ.

Stobaei libri flor. 43, 29 praebent τὸ μὲν γὰρ ϲυνέχον.

Iam audi versus 323 sqq.:

ϲὴ πατρίϲ; ἐν γὰρ τοῖϲ πόνοιϲιν αὔξεται·
αἱ δ᾽ ἥϲυχοι ϲκοτεινὰ πράϲϲουϲαι πόλειϲ
ϲκοτεινὰ καὶ βλέπουϲιν εὐλαβούμεναι.

Sic a pr. m. *B C*, πράϲϲουϲιν a sec. m. *B*: Stobaeus flor. 39, 50 ut secunda manus Euripidei codicis πράϲϲουϲιν.

Versus 423—425 in poetae codicibus nostris sic procedunt:

ἢ δὴ νοϲῶδεϲ τοῦτο τοῖϲ ἀμείνοϲιν,
ὅταν πονηρὸϲ ἀξίωμ᾽ ἀνὴρ ἔχῃ
γλώϲϲῃ καταϲχὼν δῆμον οὐδὲν ὢν τὸ πρίν.

Stob. floril. 106, 4 exhibet ἤδη.

Versus 433—438 Euripideorum codicum librarii tales prodiderunt:

γεγραμμένων δὲ τῶν νόμων ὅ τ᾽ ἀϲθενὴϲ
ὁ πλούϲιόϲ τε τὴν δίκην ἴϲην ἔχει,
ἔϲτιν δ᾽ ἐνιϲπεῖν τοῖϲιν ἀϲθενεϲτέροιϲ

τὸν εὐτυχοῦντα ταῦθ᾽ ὅταν κλύῃ κακῶϲ.
νικᾷ δ᾽ ὁ μείων τὸν μέγαν δίκαι᾽ ἔχων.

Stobaeus flor. 44, 6 ignorat versus 435 et 436 (ἔϲτιν δ᾽ ἐνιϲπεῖν — κακῶϲ), reliquos autem sic dedit:

οὐκ ἔϲτιν οὐδὲν κρεῖϲϲον ἢ νόμοι πόλει
καλῶϲ τεθέντεϲ· ὅ τε γὰρ ἀϲθενέϲτεροϲ
ὁ πλούϲιόϲ τε τὴν δίκην ἴϲην ἔχει,
νικᾷ δ᾽ ὁ μείων τὸν μέγαν δίκαι᾽ ἔχων.

Versus 481—494 apud Euripidem tales adparent:

ὅταν γὰρ ἔλθῃ πόλεμοϲ εἰϲ ψῆφον πόλεωϲ,
οὐδεὶϲ ἔθ᾽ αὑτοῦ θάνατον ἐκλογίζεται,
τὸ δυϲτυχὲϲ δὲ τοῦτ᾽ ἐϲ ἄλλον ἐκτρέπει·
εἰ δ᾽ ἦν παρ᾽ ὄμμα θάνατοϲ ἐν ψηφοῦ φορᾷ,
οὐκ ἄν ποθ᾽ Ἑλλὰϲ δοριμανὴϲ ἀπώλλυτο.
καὶ τοῖν δυοῖν γε πάντεϲ ἄνθρωποι λόγοιν
τὸν κρείϲϲον᾽ ἴϲμεν καὶ τὰ χρηϲτὰ καὶ κακά,
ὅϲῳ τε πολέμου κρεῖϲϲον εἰρήνη βροτοῖϲ·
ἣ πρῶτα μὲν Μούϲαιϲι προϲφιλεϲτάτη,
ποιναῖϲι δ᾽ ἐχθρά, τέρπεταί τ᾽ εὐπαιδίᾳ,
χαίρει δὲ πλούτῳ. ταῦτ᾽ ἀφέντεϲ οἱ κακοὶ
πολέμουϲ ἀναιρούμεϲθα καὶ τὸν ἥϲϲονα
δουλούμεθ᾽ ἄνδρεϲ ἄνδρα καὶ πόλιϲ πόλιν.

In his vs. 485 ἀπώλλυτο a pr. m. *B C*, ἀπώλετο *B* a m. sec., 486 λόγων a pr. m. *B C*, λόγοιν a m. sec. *B*. Stobaeus flor. 65, 6 in his discrepat: v. 481 ψῆφον λεώ (cod. B ψῆφον δορόϲ), v. 487 καίτοι δυοῖν γάρ, v. 491 γόοιϲι δ᾽ — τέρπεται δ᾽.

Versus 874, quem Teles laudat apud Stob. flor. 95, 21, nobis hoc loco omittendus est; item exclusimus v. 531—536, qui in Euripideae fabulae codices incommode invecti Moschionis potius sunt, ut docuit Stob. flor. 122, 3.

Versus 875—880 Euripidis codices sic tradiderunt:

φίλων δὲ χρυϲὸν πολλάκιϲ δωρουμένων
οὐκ εἰϲεδέξατ᾽ οἶκον, ὥϲτε τοὺϲ τρόπουϲ
δούλουϲ παραϲχεῖν χρημάτων ζευχθεὶϲ ὕπο.
τούϲ τ᾽ ἐξαμαρτάνονταϲ, οὐχὶ τὴν πόλιν
ἤχθαιρ᾽· ἐπεί τοι κοὐδὲν αἰτία πόλιϲ
κακῶϲ κλύουϲα διὰ κυβερνήτην κακόν.

V. 879 ἐπεί τοι κοὐδὲν correxit in *B* man. sec., ἐπεί τι γ᾽

οὐδέν a pr. m. *B*, ἐπεί τοι γ᾽ οὐδέν *C*. Idem locus apud Stob. flor. 46, 4 sic scriptus legitur:

φίλων δὲ χρυσὸν πολλάκις δωρουμένων
οὐκ εἰσεδέξατ᾽ οἶκον, οὐδὲ τοὺς τρόπους
δούλους παρέσχεν χρημάτων πεισθεὶς ὕπο.
τοὺς δ᾽ ἐξαμαρτάνοντας, οὐχὶ τὴν τύχην,
ἤχθαιρ᾽, ἐπεί τοι κοὐδὲν αἰτία πέλει
κακῶς ἀκούειν διὰ κυβερνήτην κακόν.

Versus 912—917 integrae fabulae conexus sic exhibet:

αἰσχύνεται δὲ τἀγάθ᾽ ἀσκήσας ἀνὴρ
κακὸς γενέσθαι πᾶς τις· ἡ δ᾽ εὐανδρία
διδακτός, εἴπερ καὶ βρέφος διδάσκεται
λέγειν ἀκούειν θ᾽ ὧν μάθησιν οὐκ ἔχει.
ἃ δ᾽ ἂν μάθοι τις, ταῦτα σώζεσθαι φιλεῖ
πρὸς γῆρας. οὕτω παῖδας εὖ παιδεύετε.

Ex Stob. flor. 1, 5 haec lectionum discrepantia notanda est: v. 913 κακὸς κεκλῆσθαι, v. 914 διδακτόν, v. 916 μάθῃ.

Quodsi nunc rationem inibimus (etenim vel haec pauca usui nostro sufficere existimo), alia in Stobaei libris deprehendimus, quae librariorum neglegentia orta ut in omnibus qui ad nos pervenerunt codicibus satis vulgaria sunt, ita facili plerumque opera corriguntur, velut si legitur v. 243 φιλούμενοι pro φηλούμενοι, v. 324 πράσσουσιν pro πράσσουσαι, v. 423 ἤδη pro ἦ δή; sed alia comparent, quae ab Euripidis libris tam mirifice discrepant, ut in eis de librariorum erroribus a nullo queat cogitari nisi ab homine harum rerum imperito, immo ut manifesto interpolatorum manus arbitraria deprehendatur. Sic igitur poetae tragici lectiones non modo in peiorem formam delapsas esse vidimus, ut pristina earum proprietas et elegantia hic illic evanesceret (velut v. 244 ἡ μέση, v. 876 οὐδέ, v. 877 παρέσχεν — πεισθείς, alia), sed nonnulli poetae versus, qui etiam notabiliores videri possunt, sub Stobaei titulis vel novam sententiam et ab ea, quam fabulae conexus desiderabat, remotam adsciverunt. Cuius modi interpolationis exemplum habes in Supplicum versibus 878—880 supra adlatis: ut nisi aliunde probatum esset, vel ex his adpareret, quam necesse sit eum, qui in Stobaei libris emendandis operam conlocet, non solum librariorum solitos errores perspectos habere, sed praecipue veteres interpolatores qualem viam inierint scrupulose perquirere. Quamquam interpolationes quae usu veniunt non omnes eadem quasi trutina pensandas esse

uno saltem verbo indicabo. Nam ut recte dixeris permultos esse locos, ubi interpretum vel grammaticorum manum sine difficultate agnoscas, ita alii sunt, ubi ipse iam Stobaeus sententias ad suum usum temere accommodavit, quos si in florilegio perpurgaveris, ne Stobaeo vim inferas valde verendum erit. Huc refero (etsi mutandi consilium minus hic quam alibi apertum est) Suppl. v. 433 e. q. s.: atque alia huius generis etiam apertiora exempla congessit nuper Otto Bernhardtius Quaest. Stob. p. 24 sqq., quibus adaeque manifestum est Stobaeum 'ne a verbis mutandis quidem et versibus vel inserendis vel praetermittendis' abstinuisse, nimirum quo plures scriptorum locos vel adversante sententia sui libri titulis adnecteret. Sed nihil impedit, quominus re semel acriter perspecta id, quod Stobaeum dedisse intellexerimus, in libris eius intactum relinquamus, illud quod ab ipso scriptore quolibet profectum fuisse sana ratio evicerit, calculo nostro comprobemus.

Praemonui haec pauca, ut mihi, si minus aliis, eam rationem veluti primis saltem lineis ante oculos ponerem, quam in compilatore hoc tractando teneri plurimum interesse putavi: nunc ad ipsam emendationem accedamus.

Apollodori egregium fragmentum, quod exstat apud Stobaeum flor. 46, 15, Meinekius sic extulit:

δεῖ τὸν ἀκροατὴν καὶ συνετὸν ὄντως κριτὴν
πρὸ τοῦ λεγομένου τὸν βίον διασκοπεῖν,
ποῖός τις ὁ λέγων καὶ πόθεν, καὶ τὴν ἀκμὴν
ἐκ παιδὸς αὑτοῦ πρὸς τί κατατεθειμένος.
αὑτοῦ προδότης κακός τε τῆς ὥρας φύλαξ,
μάλισθ᾿ ὁ τοιοῦτος ἀνατρέπει πᾶσαν πόλιν.
οὐδὲν γὰρ αἰσχρόν ἐστιν αὐτοῖς ἀποτυχεῖν
πράττουσι πάντα· τὴν γὰρ αἰσχύνην πάλαι
πᾶσαν ἀπολωλέκασι καθ᾿ ἑτέρας θύρας.
ὅθεν ἐπιχειρεῖ πάντ᾿ ἀπηρυθριακότως
ἕκαστος αὐτῶν, πρὸς δὲ πάντ᾿ ἐστὶν θρασύς,
ψεύδετ᾿ ἐπιορκεῖ μαρτυρεῖ δικορραφεῖ
κλέπτει τελωνεῖ ῥαδιουργεῖ· τὸ δὲ πέρας,
οὐ πόλιν ὅλην φυλὴν δὲ μαλακὸς ἀνατρέπει.
ἐπεὶ κατὰ μέρος τὰς πόλεις, ὦ φίλε, θεῶ·
ὑπὸ λαισποδιῶν εἰσὶν γὰρ ἀνατετραμμέναι·
σκόπει· νεῶν δὲ κατάλογον δόξεις μ᾿ ἐρεῖν.

Ac versum quartum decimum idem Meinekius adnotavit 'insana-

biliter' corruptum esse. Poterat, dico, pedetemptim potius interpolatoris vestigia persequi. Videbatur nimirum Graeculo isti, qui locum temere attigisse putandus est, per 'τὸ δὲ πέρας' eis quae antecedunt (ψεύδετ' ἐπιορκεῖ μαρτυρεῖ e. q. s.) ultimum quoddam verbum a poeta in fine additum esse, ac membrum desiderabat, quod reliqua et apte concluderet et vi quadam singulari amplificaret. Hac falsa opinione tractus versum consarcinavit ille suo ingenio dignum

οὐ πόλιν ὅλην φυλὴν δὲ μαλακὸς ἀνατρέπει,

singulis verbis maximam partem e versu sexto

μάλισθ' ὁ τοιοῦτος ἀνατρέπει πᾶσαν πόλιν

incommode repetitis. Sed quoniam cum Heimsoethio ineptum duco, 'locos corruptos antequam emendati sint interpolatoribus tribuere' (de interpolationibus comment. tert. a. 1871 p. III), hoc fere dedisse interpolatorem coniciam: ὅλην πόλιν οὐ φυλὴν ὁ μαλακὸς ἀνατρέπει. Et hoc ipsum Apollodoro tribuit Madvigius Adv. cr. I p. 719. At poeta vel is qui loquitur hunc me iudice ordinem sententiarum observavit: primum uberius enarrat, qualis sit quidve faciat is, qui ut breviter dicam aetatis suae florem prodidit (αὑτοῦ προδότης κακός τε τῆς ὥρας φύλαξ), denique alteram quam adloquitur personam ipsas urbes, quae in eius modi hominum manu fuerint, intueri ac dispicere iubet, quam praecipites in perniciem inruerint. ἐπεί autem vocula sive interpolamento semel inlato ex dittographia quam vocamus orta, sive ab eodem quem notavimus interpolatore lacunae explendae gratia adiecta, item certo ableganda est, ut totum locum sic coniciam redintegrandum esse:

τὸ δὲ πέρας
κατὰ μέρος (αὐτὰς) τὰς πόλεις, ὦ φίλε, θεῶ,
ὑπὸ λαισποδιῶν (ὡς) εἰσὶν ἀνατετραμμέναι·
σκόπει· νεῶν δὲ κατάλογον δόξεις μ' ἐρεῖν.

In eis quae libri exhibent εἰσὶν γὰρ ἀνατετραμμέναι videtur γὰρ eiusdem interpolatoris esse lacunam item resarcientis satis incommode: debebat enim ille ὑπὸ λαισποδιῶν γάρ εἰσιν e. q. s., idque ipsum restitui voluit Meinekius. Veri tamen similius est quod scripsi. In versibus, qui nostros olim sequebantur, ipsas illas civitates ab improbis civibus eversas nominatim poetam recensuisse, hoc postremus fragmenti versus, quo ad Iliadis secundum librum adlusit poeta, apertissime docet, et observavit id iam Meinekius Com. vol. IV p. 455. — De priore fragmenti parte nondum persanata inter alios nuper bene meruit

Herwerdenus Observ. crit. in fragm. comic. Graec. p. 101, qui in versu quarto recte, ut videtur, proposuit ἐκ παιδὸς εὐθὺς (lib. αὐτοῦ) e. q. s. Sed etiam secundi versus verba πρὸ τοῦ λεγομένου ut paulo obscurius dicta suspitionem movebant. Herwerdenus explicat 'antequam in verba oratoris inquirat', atque in eandem sententiam scribi iussit Cobetus (Mnemos. vol. IV p. 128) πρὸ τῶν λεγομένων. Similiter rem egit Meinekius in praef. ed. min. p. XXII; aliter postea in Add. ad Stob. vol. II p. LXVII 'τὸ λεγόμενον' inquit 'dicere videtur poeta quae vulgo ab hominibus de aliquo narrantur; prae his ipsam vitam spectandam monet.' Mihi, fateor, altera ratio qua Herwerdenus utitur simplicitate magis commendatur et ab huius partibus steterim, nisi dedit fortasse poeta πρὸ τοῦ λόγον αἰνεῖν. Cf. Soph. Antig. 883 ἆρ' ἴστ', ἀοιδὰς καὶ γόους πρὸ τοῦ θανεῖν, ὡς οὐδ' ἂν εἷς παύσαιτ' ἄν, εἰ χρείη λέγειν.

Haud absimilis notae est interpolatio in Philemonis versibus, quos servavit Stobaeus flor. 108, 33:

μείζω τὰ κακὰ ποιοῦσι πολλοί, δέσποτα,
αὐτοὶ δι' αὑτοὺς ἢ πέφυκε τῇ φύσει.
οἷον τέθνηκεν υἱὸς ἢ μήτηρ τινὶ
ἢ νὴ Δί' ἄλλων τῶν ἀναγκαίων γέ τις,
ἂν μὲν λάβῃ τοῦτ', 'ἀπέθαν', ἄνθρωπος γὰρ ἦν',
τοσοῦτο γέγονε τὸ κακὸν ἡλίκον περ ἦν.
ἐὰν δ' ἀβίωτος ὁ βίος, οὐκ ἔτ' ὄψομαι,
ἀπόλωλεν, ἐν ἑαυτῷ τοῦτο ἐὰν σκοπῇ,
πρὸς τοῖς κακοῖς οὗτος ἕτερα συλλέγει κακά.
ὁ δὲ τῷ λογισμῷ πάντα παρ' ἑαυτῷ σκοπῶν
τὸ κακὸν ἀφαιρεῖ, τἀγαθὸν δὲ λαμβάνει.

Sic enim ut exhibui versus octavus e. q. s. in codicibus exarati sunt. Correxerunt Tyrwhittus et Iacobsius hunc in modum:

ἀπόλωλ', ἐν ἑαυτῷ τοῦτ' ἐὰν σκοπῇ, κακὰ
πρὸς τοῖς κακοῖσιν οὗτος ἕτερα συλλέγει:

ac sic Meinekius quoque locum etsi dubitanter nobis proposuit. Si quid video, viris doctissimis interpolator nescio quis vel si mavis interpres fraudem fecit, qui (similiter atque in Apollodori loco quode modo diximus) plurimis ex fine fragmenti (πάντα παρ' ἑαυτῷ σκοπῶν) moleste retractis verba ἐν ἑαυτῷ τοῦτο ἐὰν σκοπῇ πρὸς τοῖς suo arbitrio interpretandi gratia olim adscripsit. Poetae nimirum hoc solum fuerat:

ἐὰν δ' ‘ἀβίωτοϲ ὁ βίοϲ, οὐκ ἔτ' ὄψομαι,
ἀπόλωλ’', ἕτερα κακοῖϲιν οὗτοϲ ϲυλλέγει:

nisi praeferes ἀπόλωλ', ἕτερα κακοῖϲι ϲυλλέγει κακά, quod fieri potest ut nonnullis etiam elegantius videatur: cf. Men. frg. inc. fab. ap. Mein. Com. IV p. 239 παρηγόρει δὲ τὰ κακὰ δι' ἑτέρων κακῶν, vel Philem. frg. LII ap. Mein. Com. IV p. 53. Sed illud quoque, ἕτερα κακοῖϲιν οὗτοϲ ϲυλλέγει, comicorum usu munitur: cf. Men. ap. Stob. flor. 98, 8 ἡμεῖϲ δὲ χωρὶϲ τῶν ἀναγκαίων κακῶν | αὐτοὶ παρ' αὐτῶν ἕτερα προϲπορίζομεν. Ceterum in versu quinto λάβῃ quod in libris est Bentleius una litterula mutata correxit in λαλῇ, et ‘dictitare’ hoc esse recte monuit Meinekius.

De interpolatorum autem industria confidentius cogitare poteris, si pristinas librorum lacunas incommode olim suppletas esse certis argumentis tibi persuaseris. In hoc genus nunc alia nonnulla suggeram. Atque Euripidis fragmentum ex Aegeo fabula petitum (8 N.) Stobaeus flor. 47, 6 sic tradidit:

ἀνδρὸϲ ὑπ' ἐϲθλοῦ καὶ τυραννεῖϲθαι καλόν.

Vbi Nauckius Eurip. trag. vol. III p. 2 haec adnotavit: ‘ἀνδρὸϲ δ' ὑπ' ἐϲθλοῦ editur libris invitis, fortasse ἀνδρῶν ὑπ' ἐϲθλῶν legendum.’ Sed vel hanc emendationem ab arte parum commendatam puto*). Vna enim syllaba post ἀνδρὸϲ olim intercidisse videtur, at non ὑπ' ea erat, quam interpolator nescio quis vel contra metrum inculcavit: immo poeta dederat

ἀνδρὸϲ (πρὸϲ) ἐϲθλοῦ καὶ τυραννεῖϲθαι καλόν**).

Consimiliter fere res se habet in alio eiusdem poetae fragmento Oenomai fabulae, quod in flor. 99, 8 tale exstat:

ἕν ἐϲτι πάντων πρῶτον εἰδέναι τουτί,
φέρειν τὰ ϲυμπίπτοντα μὴ παλιγκότωϲ·
χοὖτόϲ γ' ἀνὴρ ἄριϲτοϲ αἵ τε ϲυμφοραὶ
ἧϲϲον δάκνουϲιν. ἀλλὰ ταῦτα γὰρ λέγειν
ἐπιϲτάμεϲθα, δρᾶν δ' ἀμηχάνωϲ ἔχει.

Atque in versu primo pro τουτί codex B τόδε: utrumque est praevarum interpretis alicuius supplementum, quo ne de sede quidem vitii inveterati edocemur. Neque igitur recte Nauckium

---

*) Etiam minus proficeremus, si quis verborum transpositione (ὑπ' ἀνδρὸϲ ἐϲθλοῦ e. q. s.) versum sanare vellet.

**) Pari ratione emendo initium Euripidei fragmenti, quod sic legitur ap. Plut. Mor. p. 604 E (frg. 971 N.): εἰ δὲ πάρεργον χρή τι κομπάϲαι, γύναι e. q. s. Etenim scribendum erat εἰ γὰρ πάρεργον χρή τι e. q. s.

εἰδέναι βροτῷ temptavisse iudico. Et lenior et cothurno dignior emendatio haec erit:

> ἕν ἐστι πάντων (π ᾶ σ ι) πρῶτον εἰδέναι,
> φέρειν τὰ συμπίπτοντα μὴ παλιγκότως.

Quod quanto praestet Rob. Engeri coniecturae ἕν ἐστι πάντων ἀνδρὶ e. q. s., quam suasit ille Adnot. ad poet. graec. fragm. (Posnan. a. 1868) p. 9, vix erit cur pluribus enarrem. Primus tamen Engerus, ubi quaerendum esset mendum, monstravit.

Nec par nec prorsus dispar emendandi via erit, quam ut ad metam propositam perveniat criticum ingredi oportebit in Dictyis fabulae eiusdem tragici frustulo, quod sicut nunc fertur ita olim quoque apud Euripidem fuisse, Stobaeo (flor. 86, 1) vix fidem habebimus:

> εἰς δ᾽ εὐγένειαν ὀλίγ᾽ ἔχω φράσαι καλά·
> ὁ μὲν γὰρ ἐσθλὸς εὐγενὴς ἔμοιγ᾽ ἀνήρ,
> ὁ δ᾽ οὐ δίκαιος κἂν ἀμείνονος πατρὸς
> Ζ η ν ὸ ς πεφύκῃ, δυσγενὴς εἶναι δοκεῖ.

Etenim Ζηνὸς vocem hic ineptam esse, quamvis obloqueretur olim Schneidewinus (Phil. vol. V p. 26), hodie inter viros harum rerum peritissimos, Meinekium dico et Nauckium, nullus dissensus est. Quod non impedivit, quominus in emendando alius aliud amplecterentur: γένος suasit Meinekius, ἶνις vel γόνος praetulit Nauckius. Quae equidem omnia, si verbis πατρὸς πεφύκῃ addideris, aeque abundare existimo. Vix est quod moneam, non modo πατρὸς ἐκπεφυκέναι, sed etiam simpliciter πατρὸς πεφυκέναι (vel φῦναι) dixisse tragicos, nec exemplis opus erit utpote in re certissima (cf. tamen Eur. Heraclid. 299 ἢ πατρὸς ἐσθλοῦ κἀγαθοῦ πεφυκέναι, ibid. 509, Orest. 5, alia id genus). ἶνις vero vocem exquisitiorem esse, quam quae in simplicis huius sententiae inadfectato genere dicendi tolerari possit, eum fugere nequibit, qui genera dicendi sano iudicio discriminet. Nam etiamsi in aliis quam in melicis tragoediae partibus rarius hoc vocabulum legeretur (id quod diserte negavit Meinekius), hoc certe loco, cuius si qua est elegantia sola simplicitate quadam vel perspicuitate continetur, non magis ferri posset, quam si quis κέλωρ vel τόκος vel σκύμνος vel alia reconditiora hic intexeret. Haec igitur quae dixi si probaveris, poetae verba sic mecum lege

> ὁ δ᾽ οὐ δίκαιος κἂν ἀμείνονός τ ι ν ο ς
> πατρὸς πεφύκῃ, δυσγενὴς ἐμοὶ δοκεῖ.

Locum sic a nobis emendatum si memoria tenueris, alii

quoque nunc paulum obscurato in proclivi erit succurrere. Omisso fabulae titulo Stobaeus (flor. 79, 27) talia Euripidi adscribit:

ἀλλ᾽ ἴϲτ᾽, ἐμοὶ μὲν οὗτοϲ οὐκ ἔϲται νόμοϲ,
τὸ μὴ οὔ ϲε, μῆτερ, προϲφιλῆ νέμειν ἀεὶ
καὶ τοῦ δικαίου καὶ τόκων τῶν ϲῶν χάριν.
ϲτέργω δὲ τὸν φύϲαντα τῶν πάντων βροτῶν
μάλιϲθ᾽· ὁρίζω τοῦτο, καὶ ϲὺ μὴ φθόνει·
κείνου γὰρ ἐξέβλαϲτον· οὐδ᾽ ἂν εἷϲ ἀνὴρ
γυναικὸϲ αὐδήϲειεν, ἀλλὰ τοῦ πατρόϲ.

Nullus autem hic correctiunculis locus erat, immo in extrema parte ut saepius in Stobaei sententiis oratio lacunosa est, quae sic fulcienda erat:

οὐδ᾽ ἂν εἷϲ ἀνὴρ
γυναικὸϲ αὐδήϲειεν, ἀλλὰ τοῦ πατρὸϲ
φῦναι.

Est vero convenientior loquenti hic quem revocavimus generalior sententiae habitus quam id quod Nauckius commendavit εἷϲ μ᾽ ἀνὴρ e. q. s. vel Meinekii illud αὐδήϲειέ μ᾽. Aliorum conatus, veluti Engeri qui exstat in libello quem supra significavi, hoc loco facile omitto, nec id aegre ferent, spero, viri harum rerum callidiores.

Cum semel in sententias in ultima potissimum parte sive librariorum sive ipsius Stobaei culpa truncatas inciderim, nolo in uno exemplo adquiescere. Aliud fragmentum eiusdem poetae ex Temenidis fabula petitum neglegentissime sic vulgatur in flor. 88, 2:

φεῦ φεῦ, τὸ φῦναι πατρὸϲ εὐγενοῦϲ ἄπο
ὅϲην ἔχει φρόνηϲιν ἀξίωμά τε.
κἂν γὰρ πένηϲ ὢν τυγχάνῃ, χρηϲτὸϲ γεγὼϲ
τιμὴν ἔχει τιν᾽, ἀναμετρούμενοϲ δέ πωϲ
τὸ τοῦ πατρὸϲ γενναῖον ὠφελεῖ τρόπῳ.

In versu secundo mendum fortasse altius latitat: ἔχει δόκηϲιν ἀξιώματοϲ Meinekius, ἔχει τ᾽ ὄνηϲιν ἀξίωμά τε Schmidtius coniecit. Ne insequentem quidem versum sanum puto. Exspecto κἂν γὰρ πένηϲ (τιϲ) ὢν τύχῃ, χρηϲτὸϲ γεγώϲ, quod nescio an reponendum sit (cf. Posidippi verba ap. Stob. flor. 77, 7 κἂν πένηϲ τιϲ ὢν τύχῃ). Omnium vero gravissime laborant versiculi extremi. Utcumque te torseris, nulla intra tantillum spatium integra sententia profluet semperque scrupulus residebit. Neque tamen inscius sum sic iudicans, structuram quae est ἀναμετρούμενοϲ — τὸ τοῦ πατρὸϲ γενναῖον ὠφελεῖ per se nihil offen-

sionis habere (cf. Elmsleius ad Med. v. 56 et 880, Meinekius praef. ad Com. vol. IV p. X, Nauckius Eur. Stud. I p. 24, H. Hirzelius de Eur. in comp. div. arte p. 70): ac ne de hoc quidem loco dubitarem, si intra hanc verborum paucitatem omnino quicquam contineri potuisse mihi persuaderem, quo sententiae satisfieret. Lacunam igitur indico, quam sic explere possis:

ἀναμετρούμενος δέ πως
τὸ τοῦ πατρὸς γενναῖον ὠφελεῖν βροτοὺς
(οἶμαι μέγιστον).

Haud minus lacunis deformatur quod legitur in flor. 68, 9 Ἐπιχάρμου:

οὐδὲν γαίᾳ κλεινᾷ γυναικὸς βαρύτερον,
οἶδ᾽ ὁ συντυχών· μακάριος δ᾽ ὃς ἀγνοεῖ.

In his γαῖα κλῖναῖ praebet codex A, γαία κλίναι Vind. 'Cliniae' nomen agnovit Grotius, quo insistens Meinekius eleganter et acute poetae tribuit hoc: οὐδὲν (ἐν) γᾷ, Κλεινία, γυναικὸς (ἄχθος) βαρύτερον. Atque verum hoc dixerim, quamquam alia quoque via patet (miseri autem errores leguntur apud Mullachium fragm. philos. gr. I p. 145). Utut haec res se habet, in altero tamen versu non adducor ut adstipuler viro summo lacunam sic explenti:

οἶδ᾽ ὁ συντυχὼν (ἄριστα)· μακάριος δ᾽ ὃς ἀγνοεῖ.

Et ad vim sententiae et ad emendationis lenitatem multo accommodatius scripseris

οἶδ᾽ ὁ συντυχὼν (τόδ᾽, οἶδε)· μακάριος δ᾽ ὃς ἀγνοεῖ.

Iuvat Euripidis sententiam comparare, quae est Hec. v. 1181: γένος γὰρ οὔτε πόντος οὔτε γῆ τρέφει | τοιόνδ᾽, ὁ δ᾽ ἀεὶ ξυντυχὼν ἐπίσταται.

Simili autem ratione saepius vocem, quam ipsi poetae cum vi quadam iteratam voluerunt, quippe qua omne sententiarum pondus contineretur, sive neglegentia sive consilio a librariis semel tantum exaratam esse, nuper monui Exerc. crit. p. 29. Ac de tali anaphora et apud tragicos et apud comicos haud raro restituenda alia data occasione disseram: nunc pauca delibans duo vel tria exempla adponam.

Truncati sunt versus Menandrei apud Stob. flor. 76, 8:

οἷον τὸ γενέσθαι πατέρα παίδων ἦν·
λύπη, φόβος, φροντίς, πέρας ἐστὶν οὐδὲ ἕν.

Ibi Bentleius commendavit ἦν κακόν, Meinekius ἦν ἄρα: utrumque, non nego, ad sententiam haud incommodum, sin mendi ori-

ginem rimaris, parum probabile. Hoc respiciens conicio:

οἷον τὸ γενέcθαι πατέρα παίδων, (οἷον) ἦν·
λύπη, φόβοc e. q. s.

In quibus οἷον idem fere valet quod 'quam miserum', sicut in Diphili loco Com. IV p. 409 M. οἷον ἀγοράζειν πάντα, μηδὲ ἓν δ' ἔχειν.

Aliud et ut spero etiam apertius huius repetitionis exemplum infra posui, ubi duos Stobensis florilegii titulos integros adscripsi, dico Philemonis versus flor. 91, 13, ubi vide. Notum est huic poetae talis anaphorae et epanaphorae usum praeter ceteros perfamiliarem fuisse; sed in his vel maxime cavendum est, ne diversa confundamus neve tamquam elegantias miremur quae sunt librariorum vel interpolatorum ineptiae. Mecum igitur, si placet, sub iudicium voces Philemonis versus, quos tradidit Stobaeus eclog. phys. I p. 17 et 77 ed. Mein.:

ὃν οὐδὲ εἷc λέληθεν οὐδὲ ἓν ποιῶν,
οὐδ' αὖ ποιήcων, οὐδὲ πεποιηκὼc πάλαι,
οὔτε θεὸc οὔτ' ἄνθρωποc, οὗτόc εἰμ' ἐγώ,
'Αήρ, ὃν ἄν τιc ὀνομάcειε καὶ Δία.
ἐγὼ δ', ὃ θεοῦ 'cτὶν ἔργον, εἰμὶ πανταχοῦ,
ἐνταῦθ' ἐν 'Αθήναιc, ἐν Πάτραιc, ἐν Cικελίᾳ,
ἐν ταῖc πόλεcι πάcαιcιν, ἐν ταῖc οἰκίαιc
πάcαιc, ἐν ὑμῖν πᾶcιν· οὐκ ἔcτιν τόποc,
οὗ μή 'cτιν 'Αήρ· ὁ δὲ παρὼν ἁπανταχοῦ
πάντ' ἐξ ἀνάγκηc οἶδε πανταχοῦ παρών.

Quamquam de prioribus versibus, in quibus a Stobaeo mirum in modum discrepant vita Arati et scholiasta Germanici, hoc loco non disputo, sed solam Meinekii adnotationem adlego. Hoc autem eo certius dixerim, versus duos extremos, sicut apud Stobaeum leguntur, poetam non scripsisse. Meinekius vol. IV p. 875 sq., ubi hunc locum a Cobeti suspitionibus recte liberavit, duos alios eiusdem poetae locos cum hoc quem tractamus comparavit, quorum utrumque a nostro alienum esse facili negotio demonstrare possum. Sed ne nos quidem poetam anaphora, quam in deliciis habuit, hic abstinuisse arbitramur: usus est figura illa, at longe alia ratione quam quae in libris repraesentatur. Si quid video, dederat Philemo:

ὁ δὲ παρὼν ἁπανταχοῦ
πάντ' ἐξ ἀνάγκηc οἶδε, (πάντα) πανταχοῦ.

Certe haec oratio, quae priores versiculos aptissime concludat, poeta digna est, illa quam libri habent insulsa earundem vocum.

iteratio. In transcursu attigerim hac occasione data alium Philemonis locum quamquam a Stobaeo ignoratum, in quo eiusdem vocis repetitio haud dubie respuenda erit. Leguntur Com. v. IV p. 57 (Comp. Men. et Phil. p. 360) hi versus:

ἅπαν διδόμενον δῶρον, εἰ καὶ μικρὸν ᾖ,
μέγιστόν ἐστι μετ' εὐνοίας διδόμενον.

In his διδόμενον illud, quod extremo loco iteratur, librariis, non poetae deberi misera metri neglectio comprobat. Incohavit autem emendationem Grotius, cum proponeret μέγιστόν ἐστιν εἰ (ἂν Meinekius) μετ' εὐνοίας διδῷς. Mihi vero διδόμενον illud ortum esse ex διδῷς μόνον videtur, ut tamen pristinus verborum ordo hic fuerit:

ἅπαν διδόμενον δῶρον, ἂν καὶ μικρὸν ᾖ,
μέγιστον, ἂν διδῷς μετ' εὐνοίας μόνον.

Omnium vero maxime, si hoc addere licebit, rhetorica illa eiusdem vocis repetitione delectatus videtur Agatho tragicus, cuius artificiorum memor esse debuit Porsonus vel Meinekius, cum versus tractarent quos tradidit Athenaeus XIII p. 584 A:

γυνὴ τὸ cῶμα . . . δι' ἀργίαν
ψυχῆς φρόνησιν ἐντὸς οὐκ ἀργὸν φορεῖ.

Ac de Porsoni coniectura (. . . γυνή τοι cώματος δι' ἀργίαν e. q. s.) cf. Meinekii Anal. crit. ad Ath. p. 275; equidem scribo: γυνὴ τὸ cῶμα (cώματος) δι' ἀργίαν e. q. s., ut fortasse in antecedenti versu ἀcθενὴς fuerit vel ἀνειμένη vel simile quiddam.

Nunc unde profectus sum, redibo. Lacunosa est sententia Erechthei Euripideae in flor. 51, 12:

ὀλίγους ἐπαινῶ μᾶλλον ἢ πολλοὺς κακούς.

Atque in versu qui olim antecedebat fuisse καρτερούς vel ἀλκίμους opinatus est Meinekius. Ego pronior sum in hanc sententiam, ut poetam dedisse putem ἐcθλοὺς ἐγὼ | ὀλίγους ἐπαινῶ μᾶλλον ἤ πολλοὺς κακούς, conlato eiusdem Euripidis versu qui legitur in flor. 51, 9 ὀλίγοι γὰρ ἐcθλοὶ κρείσσονες πολλῶν κακῶν, aliis similibus. Haec quae contrarie dicta poetae in singulis elaborarunt, ut membrum membro, verbo verbum accurate responderet, in libris manu scriptis neglegentius haberi solent altero membro sive truncato sive plane omisso. Sic codices Stobaei flor. 97, 2 in Menandri sententia falso exhibent πενίαν ἄλυπον μᾶλλον ἢ πλοῦτον φέρειν, ubi Meinekius bene restituit πλοῦτον πικρόν. Ipse vero locus quem Meinekius ad suum conatum stabiliendum (ἀλκίμους | ὀλίγους ἐπαινῶ

μᾶλλον ἢ πολλοὺς κακούς) adlegavit ex Stob. flor. 54, 10, hic eodem vulnere laborat. Est autem Euripidis ex Archelao:

ὀλίγον ἄλκιμον δόρυ
κρεῖσσον στρατηγοῦ μυρίου στρατεύματος.

Nimirum quod Grotius voluit στρατηγῷ, nemini satisfacere potuit. Nec felicius res cessit Coningtono, qui proposuit σάφ᾽ ἡγοῦ: neque enim hercle quicquam emendando proficies, nisi simul sententiam vere integram reddideris. Meinekius vero eis quae olim suspicatus erat (ab initio proximi versus a Stobaeo omissi fuisse δειλοῦ) sponte abiectis 'fortasse' inquit 'Euripides στρατηγῶν μυρίου στρατεύματος scripserat hac sententia: parva fortisque armatorum manus praestat toto imperatorum exercitu'. Argutiis, concedo, hoc persequare, simplici interpretatione non item. Nihil de 'toto' exercitu legitur, immo ὀλίγον δόρυ et μυρίον στράτευμα plane eadem ratione contraponuntur atque haec Moschionis quae exstant apud Stob. flor. 51, 21 καὶ βαιὸς ὄχλος μυρίας λόγχης κρατεῖ; nihil denique legitur, quod ἄλκιμον illi recte respondeat, fere ut in his Meinekium non agnoscam.*) Sed ne longus sim, haec mea est emendatio:

ὀλίγον ἄλκιμον δόρυ
κρεῖσσον πονηροῦ μυρίου στρατεύματος.

Calamo aberravit librarius, intempestive ut videtur tituli memor qui est 'περὶ στρατηγῶν καὶ περὶ τῶν κατὰ πόλεμον χρειῶν ὑποθῆκαι.'

Menandri**) locum haud integrum servavit Stobaeus flor. 124, 6, ubi talia frustula nobis offeruntur:

ἐπὶ τοῦτ᾽ ἐγένοντο πάντες, ἐνθάδ᾽ ἥξομεν.
ἀνθρωπίνως χρὴ τὰς τύχας φέρειν, ξένε.
τὰ κοινὰ κοινῶς δεῖ φέρειν συμπτώματα.

Ac tria esse haec fragmenta, quae postea perperam in unum coaluerunt, iam in Menandri et Philemonis reliquiarum editione anni 1823 p. 269 intellexit Meinekius, neque est, quoad scio, cui

---

*) Iniuria spreverunt editores Wagneri adnotationem (Poet. trag. graec. fragm. vol. II p. 119): 'In στρατηγοῦ aperte vitium latet; deest enim aliquid ad sententiam explendam, velut ἀνάνδρου vel simile quid: nam exigua at fortis manus non omnino melior est ingenti exercitu, sed ingenti eoque imbelli.'

**) Versum 2 et 3 tragoediae deberi coniecit Nauckius Eurip. trag. vol. III (a. 1869) p. XXV; sed et σύμπτωμα vox et ἀνθρωπίνως comicum arguunt.

non persuaserit hoc vir acutus. Sed extremum huius triadis frustulum etiam novo hemistichio ditandum fuit sic:

τὰ κοινὰ κοινῶς δεῖ φέρειν συμπτώματα
κἀνθρωπίνως τἀνθρώπιν'.

Scilicet ne bis idem diceret, missa fecit haec quae revocavimus verba Stobaeus, quia eisdem fere verbis praemiserat ἀνθρωπίνως χρὴ τὰς τύχας φέρειν ξένε, quem iambum ex alio poetae loco huc adscitum esse Meinekii sagacitate intelleximus. Sed legit etiamtum, quae restituimus, Plutarchus cons. Apoll. p. 118 C nostrum locum manifesto respiciens: τὰ κοινὰ τοῦ βίου συμπτώματα κοινῶς φέρειν καὶ τὰ ἀνθρώπινα ἀνθρωπίνως. Quod igitur apud Stobaeum exulare iam non mirabimur, id, poetae si voles consulere, ex Plutarcho redintegrandum erit.

Menandreae Κόλακος sunt tres quos Stobaeus servavit versus flor. 10, 21:

οὐδεὶς ἐπλούτησεν ταχέως δίκαιος ὤν·
ὁ μὲν γὰρ αὑτῷ συλλέγει καὶ φείδεται,
ὁ δὲ τὸν πάλαι τηροῦντ᾽ ἐνεδρεύσας πάντ᾽ ἔχει.

Etenim paulo festinantius Grotium egisse arbitror, cum secundum et tertium versum incerto nescio cui poetae adsignare mallet. Immo, si quid mei iudicii est, post primum alius versus intercidit, quo ἀδίκου memoriam fecit poeta, ut esset quo ὁ δὲ — πάντ᾽ ἔχει referretur. Atque ut ipse aliquid experiar, hoc vel simile si legeretur, bene enuntiata inter se cohaererent:

οὐδεὶς ἐπλούτησεν ταχέως δίκαιος ὤν,
(τὸν μὴ δίκαιον ἄνπερ ἀντιπαρατιθῇς·)
ὁ μὲν γὰρ e. q. s.

Ceterum in versu primo ἐπλούτησεν (ἐπλούτησε habent libri) scripsit Cobetus in Mnemos. vol. IX p. 112 acta agens ut saepius. Idem enim tacite dederat Meinekius in Com. vol. IV p. 154, idem denique legitur monost. 688, quod adnotaverat Henricus Jacobi Supplem. addend. vol. IV p. CCLVII.

Hiat oratio Hieroclis apud Stob. flor. 39, 34 de patria sic verba facientis: μετὰ τὸν περὶ θεῶν λόγον εὐλογώτατόν ἐστιν ὑποθέσθαι πῶς πατρίδι χρηστέον· ἔστι γὰρ ὡσανεὶ δεύτερός τις θεὸς αὕτη, νὴ Δία, πρῶτος καὶ μείζων γονεύς. Ac Meinekius suasit ἢ πρῶτος e. q. s. Accommodatius esset ἤ, νὴ Δία, πρῶτος καὶ μείζων γονεύς, ut formula νὴ Δία ad verba πρῶτος e. q. s. spectaret. Sed vel hoc paulo languidius esse pauci non sentient. Vix igitur possum quin praeferam ἔστι γὰρ ὡσα-

νεὶ δεύτερός τις θεὸς αὕτη, (εἰ δὲ μή,) νὴ Δία πρῶτος καὶ μείζων γονεύς.

In Iamblichi verbis ap. Stob. flor. 81, 18, quibus de dialectica disserit, frustra nunc quaeritur unde pendeant. Sunt autem haec: καὶ γὰρ αὐτὸ τὸ μὴ (χρῆναι) διδάσκειν διαλεκτικὴν διαλεκτικῶς ἐπιχειροῦντας δεῖ καταμανθάνειν. εἴτε οὖν ἐπιτηδευτέον εἴτε μή, διαλεκτικὴν ἀσκεῖν· e. q. s. Neque vero satisfecit nobis Meinekii adnotatio: ʻδίκαιον ἀσκεῖν e coniectura ut videtur B; fort. δεῖ addendum cum Halmio vel ἀσκητέον scribendum'. Malo equidem probabili ut spero supplemento scribere: εἴτε οὖν ἐπιτηδευτέον εἴτε μή, διαλεκτικὴν ἀσκεῖν (ἄξιον), ut δίκαιον istud, quod in B est, ex interpretatione potius ortum videatur. Ipse vero scriptor, quod reposuimus, suggerit verbis quae in initio fragmenti leguntur: ἀλλὰ καὶ ἐν μελέταις καὶ ἐμπειρίαις καὶ τέχναις αὐτὸ κρατύνειν ἄξιον.

Interciderunt pauca in Archytae loco, qui est in flor. 43, 132. Audi philosophum de legis auctoritate disputantem: πρᾶτος ὦν ὁ νόμος· τούτων (sic) γὰρ ὁ μὲν βασιλεὺς νόμιμος, ὁ δ' ἄρχων ἀκόλουθος, ὁ δ' ἀρχόμενος ἐλεύθερος, ἁ δ' ὅλα κοινωνία εὐδαίμων· καὶ τούτω παραβάσει μὲν βασιλεὺς τύραννος, ὁ δὲ ἄρχων ἀνακόλουθος, ὁ δ' ἀρχόμενος δοῦλος, ἁ δ' ὅλα κοινωνία κακοδαίμων. Lacunam post τούτων recte indicavit Gesnerus, qui voluit τηρήσει (debebat certe τηρήσι). Verum reperies, si ea quae sequuntur verba καὶ τούτω παραβάσει μὲν βασιλεὺς (vel potius παραβάσι ὁ μὲν βασιλεύς, ut recte haec restituit Meinekius) paulo diligentius examinaveris. Habes enim, unde elicias quod olim periit. Ac παραβαίνειν verbo contrarium est ἐμμένειν verbum, παράβασις nomini nomen ἐμμονή. Unus quisque igitur semel monitus sic locum redintegrabit: τούτω γὰρ (ἐμμονᾷ) ὁ μὲν βασιλεὺς νόμιμος e. q. s. Cf. quae apud Stob. flor. 34, 40 Charondae adscribuntur: χρὴ δὲ ἐμμένειν τοῖς εἰρημένοις, τὸν δὲ παραβαίνοντα ἔνοχον εἶναι τῇ πολιτικᾷ ἀρᾷ, alia.

Versus ἀκέφαλος exstat apud Stob. flor. 68, 16:

τὸν μόνον ὄντα καὶ κακὴ τύχη τρέφει.

Frustra τὸν δὲ μόνον temptavit Gesnerus vel ἕνα μόνον Meinekius. Quid enim? apud Stobaeum legitur:

Φιλήμονος.

τὸν μόνον ὄντα e. q. s.

Ergo rescribamus (ὡς) τὸν μόνον ὄντα καὶ κακὴ τύχη τρέφει.

In Stobaei flor. 45, 7 codex Vindobonensis omisso poetae nomine nihil nisi hoc praebet:

ʼΑλκμήνη·

τῶν γὰρ δυναςτῶν πλεῖςτος ἐν πόλει λόγος.

A M locum omiserunt. Meinekius autem lacunam sic explet: (Εὐριπίδου) ʼΑλκμήνη. At qui ad verba quae praecedunt apud Stobaeum animum adverterit (αὐτὸς οὐ ταὐτὸν cθένει), in eandem sententiam τοῦ αὐτοῦ intercidisse probabilius suspicabitur. Sed in his nunc manum de tabula: nam de varietate illa, quae apud Stobaeum est in lemmatis adpingendis, alias nobis de industria disserendum erit.

Subiciam Plutarchi locum triplici ut videtur lacuna discissum, qui vulgatur in flor. 84, 10: ὁ διcάδελφον μὴ φιλῶν οὐδὲ γονέας, οἳ εἰς ἀμφοῖν cυνεβάλλοντο. Ac recte quidem γένεcιν vocem in fine addidit Gesnerus. In ceteris verbis quae coniectarunt viri docti, ea probabilitate mihi parum adrident. Ὁ δʼ εἰς ἀδελφὸν μὴ φίλος ὢν Gaisfordi est rude conamen, nec convenit mihi cum Meinekio qui proposuit ὁ δὲ ἀδελφὸν μὴ φιλῶν φιλεῖ οὐδὲ γονέας e. q. s. Vide an Plutarcho reddendum sit: ὁ δʼ (ἀδελφ)ὸς ἀδελφὸν μὴ φιλῶν οὐδὲ (δέδιε) γονέας, οἳ εἰς ἀμφοῖν cυνεβάλλοντο (γένεcιν).

Consimili ratione indagari poterit quod olim exciderit in incerti tragici fragmento: quod tamquam ἐν παρέργῳ adnectere libet, etsi a Stobaeo locus alienus est. Puto tamen inde etiam Plutarcheae suspitioni nostrae aliquid stabilimenti subnasci. Atque supplemento illi ad tragicorum graecorum fragmenta, quod Euripidis fragmentorum editioni suae novissimae (Lipsiae a. 1869) nuper praemisit Augustus Nauckius, hoc novum adespoton inter alia insertum reperies p. XXV (schol. Soph. Oed. R. v. 296): ὁ μὴ τὸ ἔργον δεδοικὼς οὐδὲ τὸν λόγον. Erravit autem Schneidewinus olim, cum senarium latere opinatus talem transpositionem commendaret: ὁ μὴ δεδοικὼς τοὔργον οὐδὲ τὸν λόγον. Sunt potius versus trochaici tetrametri reliquiae, quarum lacunam sine ulla verborum traiectione sic repleo:

(ὡς) ὁ μὴ τοὔργον δεδοικὼς οὐδὲ (δέδιε) τὸν λόγον.*)

---

*) Alia restant apud alios, quae non minus facile suppleantur. Sic Zonaras p. 274 (Com. vol. IV p. 134) hunc Menandri senarium exhibuit: ἔλυcʼ ἐμαυτὸν εἶτʼ ἀπέδραν μόνος, quem equidem scribo ἔλυcʼ ἐμαυτὸν (αὐτὸς), εἶτʼ ἀπέδραν μόνος. Cf. Eur. Bacch. 614 αὐτὸς ἐξέcωcʼ ἐμαυτὸν ῥᾳδίως ἄνευ πόνου: quamquam nihil opus est exemplis. Ut in

Sed lacunis nunc missis revertamur, unde paulo longius deflexit oratio, et interpolatorum fraudes quasdam discutere pergamus. Ac pravam eorum industriam mox quivis, ut spero, agnoscet in Euripidis Pirithoi fragmento, quod servavit Stobaeus in flor. 37, 15:

τρόποc δὲ χρηcτὸc ἀcφαλέcτεροc νόμου.
τὸν μὲν γὰρ οὐδεὶc ἂν διαcτρέψαι ποτὲ
ῥήτωρ δύναιτο, τὸν δ' ἄνω τε καὶ κάτω
λόγοιc ταράccων πολλάκιc λυμαίνεται.

Ut dicam quod sentio, de his versibus miro iudicio usus est Nauckius in 'Mélanges Gréco-Rom.' III p. 46. Primum initia versus tertii et quarti olim permutata esse censuit, λόγοιc dico et ῥήτωρ, atque hoc vel in textum recepit vir egregius in Euripidis fragmentorum editione quae nuper prodiit p. 162. Fugit eum, id ipsum, quod quidem a vero aberrare nobis persuasum est, iam Cobeto placuisse Mnemos. vol. IX a. 1860 p. 134*). Deinde totum versum extremum sic scribi iussit:

ῥήτωρ πανοῦργοc (vel πονηρὸc) πολλάκιc λυμαίνεται.

Apud Gregorium Naz. enim vol. II p. 154 C legi ῥήτωρ πονηρὸc τοὺc νόμουc (τοῖc νόμοιc monost. v. 709) λυμαίνεται. Attamen neutrum horum verum est, ac vel graeci sermonis usus, talia ne iaceret, Nauckium prohibere debuit. Ut enim recte dicas ἄνω τε καὶ κάτω διατινάccειν, διαφέρειν, ἕλκειν, κινεῖν, κυλινδεῖν, μεταcτρέφειν, μεταφέρειν, ῥίπτειν, cτρέφειν, cυγκυ-

---

Menandro persistamus, lenissima medela adhiberi poterat versibus qui exstant Com. vol. IV p. 266 (schol. Hom. ms. ap. Koenium ad Greg. Cor. p. 48 ed. Schaef.):

εἰ μὲν δή τινα
. . . πόρον ἔχειc· εἰ δὲ μή, νενόηκ' ἐγώ·
μιcῶμεν ἀλλήλουc.

Neque enim probabile est Meinekii conamen τούτων πόρον ἔχειc e. q. s. Quo etiam minoris facio, quod Herwerdenus litteris invitis extudit: εἰ μὲν οὖν | cύ τινα πόρον ἔχειc e. q. s. Scribo: εἰ μὲν δή τινα | (ἀπόρων) πόρον ἔχειc· εἰ δὲ μή e. q. s. Ac satis notus est ille contrariorum lusus, quem exemplis quam maxime adpositis inlustravit Schneidewinus ad Hyperid. orat. duas ex papyro Arden. editas Gott. a. 1853 praef. p. XVII.

*) Rarissime accidit editori vigilantissimo, ut alienas emendationes tamquam suas proferret. Nuper tamen id ei accidit in eadem Euripidis fragmentorum editione quam saepius commemoravi. Nam in Pelei fabulae fragmento 620 N. κρύψαc ἂν ἐκβαίη, quod ille voluit, id ipsum proposuerat Halmius Lect. Stob. part. post. a. 1842 p. 55.

κᾶν, cυγχεῖν, ταράcceιν, τιθέναι, τρέπειν, alia similia, in quibus ἄνω τε καὶ κάτω verbo movendi notionem habenti consociatur, ita ἄνω τε καὶ κάτω λυμαίνεcθαι nemini, qui graece loqui vult, concessum est. Sed ut brevi praecidam, emblema est δύναιτο, quod in versu tertio legitur, quo exturbato rescribendum erat:

τρόποc δὲ χρηcτὸc ἀcφαλέcτεροc νόμου·
τὸν μὲν γὰρ οὐδεὶc ἂν διαcτρέψαι ποτὲ
ῥήτωρ πονηρόc, τὸν δ᾽ ἄνω τε καὶ κάτω
λόγοιc ταράccων πολλάκιc λυμαίνεται.

Nec hercle corruptelae quid ansam dederit, latitat. Nimirum optativum modum ἂν διαcτρέψαι nescio quis infinitivum esse ratus ad orationem fulciendam δύναιτο adscripsit, quo intempestive inlato πονηρὸc (vel πανοῦργοc), quod antea rectissime legebatur, exulavit. Atque nescio an etiam alia de causa dignus sit locus, in quo paululum persistamus. Nisi enim aliunde satis cognitum haberemus, ex hoc loco percommode disceremus, de fide quam parum solliciti fuerint grammatici illi, qui poetarum frustula vel hic illic dispersa suis inseruerunt vel etiam dedita opera complura in unum coagmentarunt, qualis est sylloge illa quae vulgo dicitur Menandri ‘γνῶμαι μονόcτιχοι’. Nam et apud Gregorium et in monostichis uno versu pronuntiatur

ῥήτωρ πονηρὸc τοὺc νόμουc (τοῖc νόμοιc monost.) λυμαίνεται,

ut appareat alterum hemistichium ex antecedenti, alterum ex insequenti Euripidis versu adscitum esse; denique ut iustae sententiae simile aliquid evaderet, alia pauca (τοὺc νόμουc) interiecta sunt. Exemplum huic haud ita absimile in mentem mihi venit ex Laertio Diogene, qui in vita Aristotelis (lib. V, 1 p. 113 ed. Cob.) notissimos illos Homeri versus

ὄγχνη ἐπ᾽ ὄγχνῃ γηράcκει, μῆλον δ᾽ ἐπὶ μήλῳ,
αὐτὰρ ἐπὶ cταφυλῇ cταφυλή, cῦκον δ᾽ ἐπὶ cύκῳ

sic in unum conflatos refert:

ὄγχνη ἐπ᾽ ὄγχνῃ γηράcκει, cῦκον δ᾽ ἐπὶ cύκῳ.

Neque alia ex aliis desunt quae comparare possis. De Menandri autem monostichis qui dicuntur diu constat, quam diversi generis panni violenter ac temere ibi congesti sint, ut complures versus vel invitis litteris in eum quem nunc tenent locum inculcarentur.

Sciens supra praeterii, ubi optativum ἂν διαστρέψαι revocavi, has optativi formas, quae in -αις -αι exirent, ab Augusto Nauckio etiam apud Euripidem*) obelo nunc notatas esse. Nam cum altera eius Euripidearum fabularum editio (a. 1857) e. g. in Alc. v. 117 ex Matthiaei leni illa emendatione παραλύσαι dedisset (παραλῦσαι in libris est), mox παραλύσει recipiendum esse persuasit sibi vir alioqui severioris iudicii Stud. Euripid. II p. 51, causam interponens, formas illas ab Atticis alienas 'videri'. Nunc vero in tertia Euripidis editione, quae nuper in lucem emissa est (a. 1871), eo usque progressus est ut, quae in libris manu scriptis sunt harum formarum exempla, via qualicunque expelleret: in quo 'hypercriseos' genere hoc solum mirandum est, quod saltem nonnulla retinuit ratione non reddita, velut in Suppl. v. 620 κτίσαι et v. 830 σπάσαι: nisi forte existimavit, non nisi in melicis tragoediae partibus haec tolerari posse. Et quoniam ea, quae olim viri docti de his formis apud Euripidem aut servandis aut reiciendis observabant, hodie sufficere nequeunt (cf. Schaeferus Mel. crit. p. 85, Erfurdtius ad Antig. v. 410, alii), etiam reliquos locos in conspectu ponam, ubi Nauckium crisi isti deletrici video indulsisse. Atque in Medeae v. 325 codices exhibent οὐ γὰρ ἂν πείσαις ποτέ, nec Nauckius hoc non probavit in editionibus suis: nuperrime autem ingenio abusus in verborum contextu posuit οὐ γὰρ οὖν πείσεις ποτέ. Hecubae v. 820 in codicibus legitur πῶς οὖν ἔτ' ἄν τις ἐλπίσαι πράξειν καλῶς, nec quemquam hoc offendit. Recentissimus vero editor ut 'vitiosam' optativi formam exterminaret, sic coniecit: πῶς οὖν ἂν ἐλπίσειέ τις e. q. s. Ubi autem aeolicae formae metro excluduntur, ibi eas in futurum tempus vel modum coniunctivum abire iussit. Sic in Iph. T. v. 897 ἐξανύσας codices praebent i. e. leni calami lapsu remoto ἐξανύσαι, quod et Kirchhoffius reposuit et ipse olim Nauckius: ἐξανύσει nunc legimus in editione tertia. Neque absimile huic est exemplum, quod ex Alc. v. 117 supra petiimus. Item cur in Iph. T. v. 1184 a librorum lectione (σώσαις) nunc recederet et σώσῃς praeferret, nulla ei alia causa

*) De Sophocle videndus est Meinekius Anal. Soph. p. 262. Ceterum in eis quae sequuntur de tertia numeri pluralis persona non dissero, ubi recte formae in -ειαν substituuntur. Nec non praetermisi formas velut συνενέγκαι (Iph. Aul. 724), de quibus cf. L. Dindorfius ad Xen. Mem. p. 169 ed. Ox. Denique exclusi Med. v. 356, quem aliis de causis suspectum esse adparet.

fuit quam praeiudicata ista opinio. Alios locos nunc sponte mitto velut Med. v. 1109, Bacch. v. 747, ubi, quae est fontium discrepantia, sane ambigere possis, utrum modus optativus locum necne habuerit. En praesto est haud exiguus in codicibus sex vel septem exemplorum numerus, quae quidem ita comparata sunt, nullam ut aliunde suspitionem moveant. Ergo tantum abest ut persuaserit mihi Nauckius formas illas, quas rariores esse nemo negat, ex Euripide eiciendas esse, ut eas non numquam librariorum inscitia oblitteratas esse putaverim. Nec mediocriter me movit ad hoc meum iudicium ipse ille a quo profecti sumus Pirithoi fabulae locus, ubi novam regulam Nauckianam hunc effectum habuisse vidimus, ut tamquam ad claram lucem caecutiret editor et (ut dicam quod sentio) vel contra graeci sermonis usum peccaret. Sed etiam alius in fragmentis locus est, ubi revocanda videtur eadem optativi forma, de quo videsis quae infra ad flor. 90, 10 adnotavimus.

In Euripidis Peliadum fabulae fragmento (608 N.) item correctoris alicuius manum deprehendisse mihi videor. Legitur locus in flor. 49, 7:

> τὸ δ᾽ ἔcχατον δὴ τοῦτο θαυμαcτὸν βροτοῖc
> τυραννίc· οὐχ εὕροιc ἂν ἀθλιώτερον.
> φίλουc τε πορθεῖν καὶ κατακτανεῖν χρεών,
> πλεῖcτοc φόβοc πρόcεcτι μὴ δράcωcί τι.

Ac de prioribus versiculis hodie nihil moneo, quamquam ne in his quidem desunt quae scrupulum moverint. Sed ad duos postremos paulo attentius animadverte. Soloeca sunt verba φίλουc τε πορθεῖν καὶ κατακτανεῖν χρεών, id quod iam in maiore editione Nauckii diligentiam non fugit (cf. quae adnotavit ad Phoen. v. 565). Ut uno verbo dicam, ad πορθεῖν verbum exspectes πόλειc pro obiecto, φίλουc ad κατακτανεῖν. Scripturae autem quae in libris est originem ut penitus perspiciamus, nihil opportunius accidere potest quam quod Pflugkius observavit: ne coniungi quidem bene duos extremos versus, πλεῖcτοc autem quod legitur corruptum videri ex ἐπεί vocula. Quid igitur? abice πλεῖcτοc, obiecto altero quod requiritur suo loco reposito: optime tunc versiculi ad tragicorum stilum sic revocabuntur:

> πόλειc τε πορθεῖν καὶ κατακτανεῖν χρεὼν
> φίλουc· φόβοc πρόcεcτι μὴ δράcωcί τι.

Et dabit mihi, perquam probabilem esse hanc coniecturam, qui

meminerit, quotiens initia versuum in his frustulis inter se permutata sint (cf. Nauckius Stud. Eurip. I p. 47 sqq. et alibi). Fac hoc aliquando accidisse: tum corrector aliquis πόλεις vocem, quae post κατακτανεῖν verbum non poterat non inepta videri, in πλεῖστος mutavit.

Aliud Euripidis fragmentum Melanippae fabulae, quod legitur in flor. 86, 9, nuper tam vanis rationibus nostrae aetatis criticus attigit ut, nisi recentissimos quoque editores tamquam ab illius partibus stare vidissem, vix ad haec delapsurus fuerim. Ac libri ibi haec exhibent:

ἐγὼ μὲν οὐκ οἶδ᾽ ὅπως δὴ σκοπεῖν χρεὼν
τὴν εὐγένειαν· τοὺς γὰρ ἀνδρείους φύσιν
καὶ τοὺς δικαίους τῶν κενῶν δοξασμάτων,
κἂν ὦσι δούλων, εὐγενεστέρους λέγω.

Nunc audi Heimsoethii verba quae sunt in prooem. Bonn. aest. a. 1867 p. XV: ʻhos versus sanos habuisse videntur omnes. sunt tamen corruptissimi. neque enim τὰ κενὰ δοξάσματα homines significant κενῶν δοξασμάτων πλήρεις, neque verba κἂν ὦσι δούλων aut recte conlocata sunt (referenda sic essent ad τῶν κενῶν δοξασμάτων, non ad τοὺς ἀνδρείους) aut per se recte se habent. non est cur de servorum filiis potius dicatur quam de servis.ʼ His fretus talem in formam locum ille abire iussit: τὰς γὰρ ἀνδρείας φύσεις | καὶ τὰς δικαίας καὶ κενὰς δοξασμάτων, | κἂν ὦσι δούλων, εὐγενεστέρας λέγω. Sed ut singula breviter diluam, primum τὰ κενὰ δοξάσματα homines significare posse κενῶν δοξασμάτων πλήρεις non negabis, si in memoriam tibi revocaveris e. g. hunc eiusdem poetae locum (frg. 636 N.): οἱ τὰς τέχνας ἔχοντες ἀθλιώτεροι τῆς φαυλότητος i. e. qui artes callent miseriores iis qui nihil sciunt. Utroque igitur loco, ut locutionem variaret, concretum nomen quod dicitur abstracto cedere voluit poeta. Deinde vero conlocationem verborum (κἂν ὦσι δούλων) castigavit vir doctissimus, quae sic dirigenda esse ad τῶν κενῶν δοξασμάτων ait, non ad τοὺς ἀνδρείους φύσιν. Atque hoc ego libenter concederem, si legeremus κἂν ᾖ δούλων: nunc autem quod scriptum videmus κἂν ὦσι δούλων, unus quisque referet ad verba τοὺς γὰρ ἀνδρείους φύσιν καὶ τοὺς δικαίους. Ubi denique de generis stirpe sermo est, aptissime opponuntur homines a servis geniti (δούλων ὄντες) i. e. obscuro vel infimo loco nati eis qui adpellantur εὐγενεῖς, ut intellegere me negem, quo modo in his vel umbra dubi-

tationis captari potuerit. Alia res est in versu primo: tamen mihi quoque verum eruisse videtur Matthiaeus, cum scriberet ἐγὼ μὲν οὖν οὐκ οἶδ᾽ ὅπως σκοπεῖν e. q. s.

Menandri locus 'Ἐπαγγελλόμενος' fabulae sic scriptus exstat in florilegio 51, 27:

τὰ γὰρ τολμηρὰ τῶν ὄχλων ἔχει
ἐν τοῖς λογισμοῖς τὰς ἐπιδείξεις δυσκόλους,
ἐν τῷ δὲ πράττειν, ἂν λάβῃ τὸν καιρὸν εὖ,
ἀπροσδόκητον τὴν τύχην ἐξεύρατο.

Ac de hoc bene nunc actum video imprimis Cobeti opera et Meinekii. Restat in primo versu τῶν ὄχλων, quod ineptum esse idem Cobetus intellexit Mnemos. vol. IV p. 257, ubi τῶν ἔργων proposuit. Sed hoc reponi vetat ea quae in proximis inter λογισμός (vel potius λόγος) et τὸ πράττειν verba fit distinctio. Emendaverim: τὰ γὰρ τολμηρὰ τῶν χόλων i. e. impetus irarum vel violenta irae audacia, nisi malis τῶν δόλων, quod in mentem venit G. Kruegero. Legimus igitur:

τὰ γὰρ τολμηρὰ τῶν χόλων ἔχει
ἐν τοῖς λόγοις μὲν τὰς ἐπιδείξεις δυσκόλους,
ἐν τῷ δὲ πράττειν, ἂν λάβῃς τὸν καιρὸν εὖ,
ἀπροσδόκητον τὴν τύχην προσλαμβάνει.

In ceteris versibus exhibui locum iam Cobeti et Meinekii certis illis (si ab extrema extremi versiculi dipodia recesseris) emendationibus purgatum. Utrum tamen Cobeti quod perscripsi inventum, an quod Meinekius suasit ἐκτήσατο, a poeta profectum sit, difficile est diiudicare: fortasse neutrum. Post ἔχει enim, quod in primo versu legitur, aliud in fine verbum etsi poterat admitti, vix tamen necessario requiritur, ut id, quod in libris est (ἐξεύρατο), interpolatoris videri possit versum utcumque completuri.

Pannos huius modi in extremis potissimum versibus sive ab ipso Stobaeo sive ab interpolatoribus haud raro adsutos esse, luculentis exemplis demonstrari potest. Sic nuper in Antiopae Euripideae fragmento (flor. 16, 4):

εἰ δ᾽ εὐτυχῶν τις καὶ βίον κεκτημένος
μηδὲν δόμοισι τῶν καλῶν πειράσεται,
ἐγὼ μὲν οὔποτ᾽ αὐτὸν ὄλβιον καλῶ,
φύλακα δὲ μᾶλλον χρημάτων εὐδαίμονα

vocem extremam monui ab imperito homine versus explendi gratia adiectam esse. Cuius coniecturae si ne hodie quidem me

paenitet, vix videbor meis nimis indulgere. Etenim in proxima vicinitate legimus eodem casu elatum ὄλβιον illud, quod per εὐδαίμων explicare solebant glossatores: cf. Hesychii ὄλβιοϲ· πλούϲιοϲ, εὐδαίμων. Memoro haec, quod Guilelmus Dindorfius nuper χρημάτων vocem me delevisse adnotavit Poet. scen. ed. V vol. III p. 304. Nihil autem horum ego suasi: cf. Exercitationes criticae impr. in Eur. fragm. p. 55. Suo tamen iure vir egregius Nauckii coniecturae (δυϲδαίμονα) aditum praeclusit, quade ibidem iudicium feci qualecunque.

Manifesta interpolatio obscuravit versus Euripideos, quos Bellerophonti tribuit Stobaeus flor. 10, 17:

ὡϲ ἔμφυτοϲ μὲν πᾶϲιν ἀνθρώποιϲ κάκη·
ὅϲτιϲ δὲ πλεῖϲτον μιϲθὸν εἰϲ χεῖραϲ λαβὼν
κακὸϲ γένηται, τῷδε ϲυγγνώμη μὲν οὔ,
πλείω δὲ μιϲθὸν μείζονοϲ τόλμηϲ ἔχων
τὸν τῶν ψεγόντων ῥᾷον ἂν φέροι λόγον.

'Ipsa enim', ut Herwerdeni verbis utar Exerc. crit. p. 43, 'ratio oppositorum vs. 4 sqq. luculenter demonstrat, pro πλεῖϲτον requiri ipsum contrarium'. Quod ut ille verissime statuit, ita in emendando a vero aberravit. Ac primum ὅϲτιϲ δὲ παῦρον μιϲθὸν e. q. s. coniecit, deinde ipse se corrigens ὅϲτιϲ γὰρ ὀλίγον e. q. s. Quorum hoc saltem mallem abiecisset vir doctus: adeo frequentia sunt in tragicis exempla, ubi δὲ particula idem significat quod γάρ. Sed etiam alterum conamen, quod dudum occupaverat Iacobsius Animadv. in Eur. p. 204, arte destitutum est, nec quicquam proficies litterarum vestigia premendo. Excidit enim genuinum vocabulum, interpolator autem nescio quis suopte ingenio lacunam complevit. Post μιϲθὸν vocem (vel etiam ante μιϲθὸν) a librario olim praetermissum puto μικρόν, ut rescribam:

ὅϲτιϲ δὲ μιϲθὸν (μικρὸν) εἰϲ χεῖραϲ λαβὼν
κακὸϲ γένηται e. q. s.

Plurimis eorum, quos huc usque attulimus locos interpolatos, grammatici consulto et cogitate manum admovisse videbantur, tamen ut hic illic etiam de eis cogitare posses, qui interpretandi gratia, ut solebant, modo plura modo pauciora subdiderunt. Eius modi interpretamentis sive ad marginem sive intra versuum spatia olim adiectis quam saepe in Stobaei libris manu scriptis genuina scriptorum verba expulsa sint, hodie nemo ignorat qui quidem semel illum inspexerit. Pauca alia huius generis emblemata nunc expromam. Accipe primum Euripidis fragmentum,

quo ille more suo 'μιcoγύνην' se prodidit, quod legitur in flor. 73, 1 (1045 N.):

δεινὴ μὲν ἀλκὴ κυμάτων θαλαccίων,
δειναὶ δὲ ποταμοῦ καὶ πυρὸc θερμοῦ πνοαί,
δεινὸν δὲ πενία, δεινὰ δ' ἄλλα μυρία,
ἀλλ' οὐδὲν οὕτω δεινὸν ὡc γυνὴ κακόν·
οὐδ' ἂν γένοιτο γράμμα τοιοῦτ' ἐν γραφῇ
οὐδ' ἂν λόγοc δείξειεν· εἰ δέ του θεῶν
τόδ' ἐcτὶ πλάcμα, δημιουργὸc ὢν κακῶν
μέγιcτοc ἴcτω καὶ βροτοῖcι δυcμενήc.

Verba τοιοῦτ' ἐν γραφῇ Euripidea non esse, pronominis forma τοιοῦτο evincit. Itaque Nauckius olim (de trag. Graec. fragm. observ. crit. p. 29) proposuit τοιοῦτον γραφῇ, nuper vero maluit τοιοῦτον γραφεῖ: utrumque languet vel, ut leniter dicam, abundat. Nisi multum fallor, in interpretamento nescio cuius emendando frustra desudavit vir doctissimus. Neque enim ex litterarum figuris poetae scripturam expiscaberis. Euripidem, ut spero, nunc etiam Nauckio persuadebo scripsisse:

οὐδ' ἂν γένοιτο γράμμα τοιοῦτόν ποτε
οὐδ' ἂν λόγοc δείξειεν.

Ceterum in fragmenti versu secundo recte restituerunt ποταμῶν ex Vita Aesopi ed. Westerm. p. 21, 5 pro numero singulari, quem praebet Stobaeus. Ad eundem denique versiculum Meinekius in flor. edit. vol. III p. X haec adnotavit: 'quae sint ποταμοῦ πνοαί vix dicas, itaque malim δεινή, ut ad ἀλκὴ referatur.' Circumspecto tamen iudicio recentissimus fragmentorum editor hoc ne commemoravit quidem. Nam ut de structurae duritie taceam (δεινὴ δὲ ποταμῶν ⟨sc. ἀλκή⟩ καὶ πυρὸc θερμοῦ πνοαί ⟨sc. δειναί⟩), sponte in oculos incurrit in ipsa anaphora, qua utitur poeta, formarum variationem illam δεινή — δειναί — δεινόν — δεινά sententiae quam maxime accommodatam esse. Nisi igitur olim fuisse suspicemur δειναὶ δὲ ποταμῶν καὶ πυρὸc θερμοῦ ῥοαί (eadem fere sententia, qua dixit Aeschylus Prom. v. 367 ἔνθεν ἐκραγήcονταί ποτε | ποταμοὶ πυρόc e. q. s., cuius loci facile similes alios apud tragicos reppereris), malim equidem in librorum memoria hic adquiescere.

Sosiphanis tragici fragmentum tale repraesentant libri floril. 20, 18:

νῦν cοι πρὸc ὄψιν θυμὸc ἡβάτω, γέρον,
νυνὶ δεῖ ὀργήν, ἡνίκ' ἔνδικον, λαβεῖν.

Ibi interpretem sive males correctorem manum non abstinuisse, ut supra τοιοῦτο forma, sic hoc loco νυνί illud tragicis prorsus inauditum comprobat. Nulla autem probabilitatis specie commendatur, quod Nauckius (Trag. gr. fragm. p. 638) ex litterarum similitudine elicuit νῦν ἡδὺ ὀργήν e. q. s. Exstant unum vel duo eiusmodi hiatus in codicibus nostris exempla, quibus olim usus est Guilelmus Dindorfius Poet. scen. (ed. anni 1830) praef. p. XXII, nullum apud tragicos. Nec non aperte corruptus Archilochi locus est τοῖϲι δ᾽ ἡδὺ ἦν ὅροϲ, qui quam exercuerit criticorum ingenia, vide apud Bergkium Poet. lyr. edit. tert. p. 703. Num apud Euripidem ferri ille possit, iure ipse dubitat Nauckius Stud. Eurip. II p. 43. Sed esto: admittatur ista licentia quamvis invitis libris: hoc certe manifestum erit, ne sententiae quidem favere, quod coniecit vir egregius, in hoc quidem enuntiatorum conexu. Verba nimirum audiuntur senem nescio quem vivide compellantis, ut adversus miserum quendam adspectum (πρὸϲ ὄψιν) animum intendat iraque inflammetur. Fortius igitur aliquid desideramus quam Nauckii illud νῦν ἡδὺ ὀργὴν e. q. s. Nisi egregie fallor, verba quae in libris legimus (νυνὶ δεῖ) interpolatoris sunt et de metro et de sermonis proprietate securi, qui pristinam lacunam sive de suo sive ex interpretamentis olim adscriptis infeliciter complevit. Quid autem, quaeris, post γέρον et ante ὀργὴν olim intercidisse probabile est? Suspicor:

> νῦν ϲοι πρὸϲ ὄψιν θυμὸϲ ἡβάτω, γέρον,
> νῦν (ἔργον) ὀργήν, ἡνίκ᾽ ἔνδικον, λαβεῖν.

Cf. Soph. Ai. 852 οὐδὲν ἔργον ταῦτα θρηνεῖϲθαι μάτην, ubi scholiastes explicat ἀντὶ τοῦ ἀναγκαῖόν ἐϲτιν. Quamquam exemplis nihil opus est.

Nimia quaedam interpretis cura haud dubie maculavit quae legimus Euripidis Temenidarum fragmentum in florilegio 124, 29:

> τοῖϲ πᾶϲιν ἀνθρώποιϲι κατθανεῖν μένει.
> κοινὸν δ᾽ ἔχοντεϲ αὐτὸ κοινὰ πάϲχομεν
> πάντεϲ· τὸ γὰρ χρεὼν μεῖζον ἢ τὸ μὴ χρεών.

In his χρεών monosyllabum ferri non posse primus perite statuit Nauckius: ratio tamen, qua mendum tolli iussit, violenta est. Nam quod apud Plutarchum Mor. p. 98 D sine poetae et fabulae nomine legitur τό τοι χρεὼν οὐκ ἔϲτι μὴ χρεὼν ποιεῖν, hoc ipsum adespoton, quamvis a nostro loco plus uno nomine diversum, cum Euripidis verbis ita ille commiscuit, ut πάντεϲ vocem suae coniecturae adversantem in superiorem versum reiceret, κοινόν

autem, quod rursus huic suspitioni refragatur, exulare iuberet. Num his machinis opus erat, unum ut vitium haud ita altius latens expelleretur? Multo lenior praesto est medicina. Dederat opinor poeta:

κοινὸν δ᾽ ἔχοντες αὐτὸ κοινὰ πάσχομεν
πάντες· τὸ δὲ χρεὼν μεῖζον ἢ τὸ μὴ χρεών.

Ac saepius in Stobaei codicibus pro δέ particula γάρ ab interpretibus vel librariis inlatam esse, vix tanti est multis exemplis comprobare: facile, si hoc interest, inter legendum colliges. In paucis igitur me contineo. Atque in Sophoclis fragmento, quod legitur in flor. 118, 12, nullo obloquente restituit Grotius ὅταν δ᾽ ὁ καιρὸς e. q. s. loco vitiosae librorum scripturae ὅταν γὰρ ὁ καιρὸς e. q. s. Item flor. 118, 29 libri A et Vind. recte exhibent ὥσπερ δέ, ceteri falso ὥσπερ γάρ. Similiter res se habet flor. 85, 19 (vol. III p. 145 M.), ubi A σκῆνος γὰρ ἄγειν e. q. s., reliqui σκῆνος δὲ ἄγειν χρὴ e. q. s. Nec non recte reposuit Meinekius flor. 74, 61 ἄνευ δ᾽ ἀρετᾶς οὐδέποκα γένοιτό τις τοιαύτα contra libros, ubi ἄνευ γὰρ ἀρετᾶς legitur. Alia etiam nunc restant corrigenda. Velut Diotogenis verba apud Stob. flor. 43, 130 hodie sic leguntur: ἔπειτα γὰρ τέτορες αἰτίαι τὰ σύμπαντα περαίνοντι, in quibus ipsum γάρ ineptum esse docet verborum conexus. Sed vix tollenda est particula cum Meinekio, immo δέ reponendum. Displicet denique librorum scriptura in Euripidis fragmento (flor. 93, 17):

ὦ πλοῦθ᾽, ὅσῳ μὲν ῥᾷστον εἶ βάρος φέρειν,
πόνοι δὲ κἀν σοὶ καὶ φθοραὶ πολλαὶ βίου
ἔνεισ᾽· ὁ γὰρ πᾶς ἀσθενὴς αἰὼν βροτοῖς.

Vide autem an hic quoque rescribendum sit: ἔνεισιν· ὁ δὲ πᾶς ἀσθενὴς αἰὼν βροτοῖς.

In Iunci περὶ γήρως uberiore fragmento, quod servatum est in flor. 115, 26, complura interpretis vestigia adparent: unum adfero locum, ubi quo ducant illa vix obscurum erit. Mala esse quaedam ait scriptor, quae cum senectutis vulgo opprobria habeantur, saepissime adulescentibus quoque fato quodam acerbo obtingant. Pergit autem (vol. IV p. 73 ed. Mein.): ταῦτα δὲ τὸν μὲν ἐν ἀκμῇ τῆς ἡλικίας διάγοντα βαρέως οἶμαι φέρειν, τὸν δὲ πρεσβύτην ἐπὶ δυσμαῖς ὄντα τοῦ βίου καὶ δυστυχοῦντα ἧττόν τις ἡγήσεται βλάπτεσθαι εὖ φρονῶν. Pro βαρέως praebet δικαίως codex A, δικαίως (superscr. βαρέως) Vind. Vix autem recte Meinekius

adnotat: 'nescio an βαρέωϲ a correctore sit, Iuncus autem scripserit δικαίωϲ οἶμαι δυϲφορεῖν'.*) Immo, si quid video, utrumque falsum est, et δικαίωϲ et βαρέωϲ: atque hoc quidem interpretamentum videtur, illud corruptum puto ex δεινῶϲ. Quam quidem emendationem ipse scriptor eis suppeditat, quae statim sequuntur: ἀλλὰ μὴν ταυτὶ τὰ δοκοῦντά ϲοι δεινά πωϲ εἶναι καὶ ἄφυκτα κουφίζουϲι μὲν καὶ φίλων καὶ οἰκείων ἐπικουρίαι e. q. s.

Si aliud expetis etiam luculentius pravae interpretum quam tetigi sedulitatis exemplum, audias Menandri locum qualis legitur apud Stobaeum flor. 108, 44 et 69, 4:

εὕροιϲ δ' ἂν οὐδὲν τῶν ἁπάντων, Ϲιμύλε,
ἀγαθόν, ὅτῳ τι μὴ πρόϲεϲτι καὶ κακόν.
γυνὴ πολυτελήϲ ἐϲτ' ὀχληρόν, οὐδ' ἐᾷ
ζῆν τὸν λαβόνθ' ὡϲ βούλετ'· ἀλλ' ἔνεϲτί τι
ἀγαθὸν ἀπ' αὐτῆϲ, παῖδεϲ· ἐλθόντ' εἰϲ νόϲον
τὸν ἔχοντα ταύτην ἐθεράπευϲεν ἐπιμελῶϲ,
ἀτυχοῦντι ϲυμπαρέμεινεν, ἀποθανόντα τε
ἔθαψε, περιέϲτειλεν οἰκείωϲ· ὅρα
εἰϲ ταῦθ', ὅταν λυπῇ τι τῶν καθ' ἡμέραν.
οὕτω γὰρ οἴϲειϲ πᾶν τὸ πρᾶγμ'· ἂν δ' ἐκλέγῃ
ἀεὶ τὸ λυποῦν, μηδὲν ἀντιπαρατιθεὶϲ
τῶν προϲδοκωμένων, ὀδυνήϲει διὰ τέλουϲ.

Complures in praeclaro hoc fragmento emendando critici desudarunt: nemodum prospero successu. Quorum Cobetus in commentatione de Clemente Alexandrino graece scripta (Λόγιοϲ Ἑρμῆϲ I, 3 p. 443) v. 5 suasit ἐλθόντ' εἰϲ νόϲον τὸν ἔχονθ' ἑαυτὴν e. q. s. In idem hoc incidit Herwerdenus Nov. add. crit. (a. 1864) p. 39.**) Tamen hac Batavorum mutatione admissa

---

*) Ne hoc praetermittam, δικαίωϲ οἶμαι ψέγειν proposuit Sauppius Philol. vol. XIII a. 1858 p. 611.

**) Tertius huius coniecturae, quam nemini invideo, tamquam aemulus exstitit Io. Nic. Madvigius in amplissimo opere suo 'Adversaria critica', cuius priori volumini, quod nuper prodiit (Hauniae a. 1871), etiam Stobenses aliquot emendationes insertas esse voluit p. 716 sqq. Neque nego in prosae orationis fragmentis nonnullos florilegii locos arte vere Madvigiana sanatos esse; sed ubi poetarum versus tractavit, ibi plerumque ille nescio quo pacto a se descivit. Nam in his alia vides dudum a viris doctis occupata (in Menandri loco ap. Stob. flor. 6, 25 vel Scaligeranum inventum sibi adrogat, quod Meinekius ante decem fere lustra in textum receperat); alia dubia sunt et parum probabilia (cf. flor. 3, 17; 3, 18; 38, 21; 91, 11; 94, 6; 108, 30); paucissima tanto nomine

locum interpolatum iri, non emendatum, certis argumentis comprobare possum: sed satis sit adscripsisse Heimsoethii verba, qui in commentatione sua de interpolationibus altera p. XIII de Cobeti invento sic recte iudicavit: 'bene, si haec sic conexa fuissent. sed non animadvertit vir acutissimus ad praecedentia. quid enim in his ἔνεστί τι ἀγαθὸν ἀπ᾽ αὐτῆς, inest aliquid boni ab eius parte? et quinam sunt παῖδες isti? utrum adpellatio altera post Σιμύλε? an ipsum τὸ ἀγαθόν, ut liberi inesse a parte feminae dicti fuerint atque conpositi tam inconposite cum cura aegrotantis reliquisque quae sequuntur rebus?' Perspexit igitur Heimsoethius παῖδες, quod v. 4 legitur, quam maxime a sententia absonum esse, neque poetae illud est, addiderim ego, sed interpretis stolidissimi. Ut vero emendaret locum absurditatis plenum, repetiit vir elegantissimus illud, quod iam alia data occasione sibi, vix aliis persuaserat:

ἀλλ᾽ ἔχει τί τοι
ἀγαθὸν ἀπ᾽ αὐτῆς πᾶς τις ἐλθὼν εἰς νόσον.
τὸν ἔχοντα ταύτην ἐθεράπευσεν e. q. s.

Nec tamen profecto emendandi via deest multo expeditior. Atque haec duo equidem pro certis adfirmaverim: primum in verbis ἀλλ᾽ ἕν ἐστί (ἕν ἐστι cod. A) τοι ἀγαθὸν ἀπ᾽ αὐτῆς nihil esse quod nos morari possit; deinde in verbis ἐλθὼν εἰς νόσον latitare ἐλθούσης νόσου i. e. 'si morbus venerit', quo restituto quanto concinnius enuntiata invicem se excipiant, nulla spero lis erit.

---

digna. Nec tamen singillatim retractare libet eos quos Madvigius attigit locos: ac mitto Apollodori versus (flor. 46, 15), de quibus supra disputavi. Quid vero? ad nitidam illam Menandri sententiam, quae est in flor. 97, 13 (ὢ μὴν ἐγὼ τοὺς πλουσίους e. q. s.), haec exstat Madvigii adnotatio p. 720: 'in Menandri loco pauper putaverat divites

ἡδὺν δὲ καὶ πρᾷόν τινα
ὕπνον καθεύδειν, ἀλλὰ τῶν φωκῶν τινα,

non πτωχῶν: «imo qualis est phocarum, altissimus». («Eripient somnum Druso vitulisque marinis» Iuv. 3 v. 238).' Quod quidem non est cur verbose refellam; sed vereor ne primo obtutu inrideat, qui paulo attentius in moderatiorem poetae illius dictionem se insinuaverit neque ut Madvigius 'subinde titulum aliquem (Stobaei) aut tituli partem percurrerit'. Nam in corruptissimo illo versu sive totum alterum hemistichium (ἀλλὰ τῶν πτωχῶν τινα) interpolatum est, sive τινὰ tantum ex antecedenti versu falso retractum putas, de Madvigii coniectura semper hoc iudicabo, nihil in his versibus, quod a poeta illo alienius esset, fingi potuisse, a quo (ut Quintiliani verbis utar) mire custoditur decorum.

De iunctura ἔρχεται νόcοc et similibus conferantur Philoctetae verba in cognomini Sophoclis fabula v. 758: ἥκει γὰρ αὕτη (scil. νόcοc) διὰ χρόνου, πλάνοιc ἴcωc | ὡc ἐξεπλήcθη, ad quem locum Schneidewinus in commentario suo germanice scripto complura similia contulit.*) Sed commode dictum esse, quod poetae dedi, etiam sine exemplis mihi credes. Habemus igitur:

ἀλλ᾽ ἕν ἐcτί τοι
ἀγαθὸν ἀπ᾽ αὐτῆc – ⏑· ἐλθούcηc νόcου
τὸν ἔχοντα ταύτην ἐθεράπευcεν ἐπιμελῶc e. q. s.

Sic quaeritur quomodo lacuna resarcienda sit. Prae aliis autem, quae temptari possunt, haec lectio facile primas tulerit:

ἀλλ᾽ ἕν ἐcτί τοι
ἀγαθὸν ἀπ᾽ αὐτῆc (δῆλον)· ἐλθούcηc νόcου
τὸν ἔχοντα ταύτην ἐθεράπευcεν ἐπιμελῶc e. q. s.

Sunt loci, cuius generis iam supra in Supplicum versibus nonnullos offendimus, ubi Stobaeus interpretis vel interpolatoris partes ipse ita suscepit, ut genuinis poetae verbis alia in eandem sententiam, sed si dicendi formam comparaveris peiora vel saltem tritiora, substitueret. Huc referendi sunt nobiles illi Andromedae Euripideae versus (Amoris auxilium a Perseo, ut recte coniecerunt, invocatur), qui omnium ore quanta laude celebrati fuerint, aperte docet etiam Luciani festiva illa, quam hoc loco mitto, de Abderitis narratiuncula. Sic autem locus ille legitur apud Athen. XIII p. 561 B:

cὺ δ᾽ ὦ τύραννε θεῶν τε κἀνθρώπων Ἔρωc,
ἢ μὴ δίδαcκε τὰ καλὰ φαίνεcθαι καλά,
ἢ τοῖc ἐρῶcιν εὐτυχῶc cυνεκπόνει
μοχθοῦcι μόχθουc, ὧν cὺ δημιουργὸc εἶ.

In his hemistichia εὐτυχῶc cυνεκπόνει et ὧν cὺ δημιουργὸc εἶ statim eo ordine exhibui, quo ea reponenda esse olim verissime vidit Nauckius. Versus 1—3 habet Stobaeus flor. 64, 6 et sic quidem tertium: ἢ τοῖc ἐρῶcιν εὐμενὴc παρίcταcο. Ac Stobaeum nihil nisi in universum loci sententiam, non ipsa verba poetae proferre inde apertum est, quod, cum iam versu tertio orationis filum abrumperet, verbum intransitivum (παρίcταcο) ei reponendum erat pro cυνεκπόνει | μόχθουc. Et rectissime de Stobaei lectionibus iudicavit Meinekius Anal. crit. ad Ath.

---

*) Copiosius de his egit et doctius C. C. Hense 'Poet. Personif.' p. 102 sqq.

p. 258 sq. Sed etiam in Athenaei versu emendatione aliqua opus erit. Scribo:

ἢ τοῖϲ ἐρῶϲιν εὐφρόνωϲ ϲυνεκπόνει e. q. s.

Sic demum et Athenaei lectio et Stobaei εὐμενὴϲ παρίϲταϲο ad unum quiddam redeunt, tandem ut haec pro illa quo modo salva sententia substitui potuerit, omni ex parte intellegatur. Atque ut εὐφρόνωϲ hoc loco in εὐτυχῶϲ abiisse mihi persuasum est, sic εὖ φρονεῖν et εὐτυχεῖν a librariis permutata esse plus uno exemplo comprobari potest. Sic olim in Zopyri fragmento apud Stob. flor. 63, 8 coniecimus: μηδεὶϲ ἄπειροϲ τῶν ἐμῶν εἴη φίλων | ἔρωτοϲ, εὖ φρονῶν (libri εὐτυχῶν) δὲ τὸν θεὸν λάβοι. Item in Eur. Iphig. Aulid. v. 1447 scribendum erat: ὡϲ εὖ φρονοῦϲά γ' (libri εὐτυχοῦϲά γ') Ἑλλάδοϲ τ' εὐεργέτιϲ.

Locos huc usque tales potissimum percurrimus, ubi interpretes aut interpolatores consulto aliquid sive addiderunt sive immutarunt: atque identidem contendo nullum aliud mendorum genus vehementius, ut ita dicam, criticorum opem in Stobaei libris postulare. Quamquam caecitatis coarguerer, si vel sic locos esse negarem, in quibus solus librariorum calamus fortuito videretur aberravisse. Nam etsi in hanc potissimum macularum classem viri docti oculos et aciem direxerunt, tamen vix plures huius modi loci sanati sunt quam sanandi adhuc restant. Itaque ut iam supra nonnullis ex sola litterarum similitudine auxilium petebam, ita nunc alia (succinctiore tamen, ut par est, in his oratione utens) de hoc genere subiciam. Alexidis versus tales exhibet florilegium 79, 13:

οὐκ ἠξίωϲα καταλιπεῖν τὴν μητέρα,
πρώτην δὲ ϲώζειν· τοῖϲ γὰρ ὀρθῶϲ εἰδόϲι
τὰ θεῖα μεῖζον μητρὸϲ οὐκ ἔϲτιν ποτέ.
ὅθεν ὁ πρῶτοϲ οὐκ ἀπαιδεύτωϲ ἔχων
ἱδρύϲαθ' ἱερὸν μητρόϲ, οὐ δείξαϲ ϲαφῶϲ
ποίαϲ, ἐάϲαϲ δ' ὑπονοεῖν εἰϲ τοὔνομα.

Atque ibi Hermannus quidem, cuius coniectura, si leviter inspexerimus, facile se in favorem nostrum insinuabit, de Prometheo cogitavit. Quem sicut in aliis de mortalibus optime meruisse Graecis persuasum fuisset, sic ait matris quoque sacrum illud instituisse, ut haec fuerint poetae verba: ὅθεν ὁ Προμηθεὺϲ οὐκ ἀπαιδεύτωϲ ἔχων e. q. s. Sed alia ut taceam: si Prometheum induxisset poeta, vix ac ne vix quidem adiecisset quae nunc sequuntur verba οὐκ ἀπαιδεύτωϲ ἔχων. Talia mihi

concedes quadrare in hominem quemlibet alioqui ignotum: at heroem illum inter Graecos nominatissimum tam vili fere epitheto ornari parum aptum fuisset. Vide igitur an haec fuerit genuina scriptura:

ὅθεν βροτῶν τις οὐκ ἀπαιδεύτως ἔχων
ἱδρύςαθ᾿ ἱερὸν μητρός, οὐ δείξας e. q. s.

Euripidis fragmentum quoddam etiam nunc sic vulgatur corruptissimum flor. 88, 10:

τὴν εὐγένειαν, κἂν ἄμορφος ᾖ γάμος,
τιμῶςι πολλοὶ πρὸς τέκνων χάριν λαβεῖν,
τό τ᾿ ἀξίωμα μᾶλλον ἢ τὰ χρήματα.

In primo versu bene, ut videtur, Nauckius scripsit κἂν ἄμορφος ᾖ γυνή. Restat autem secundus, nunc a poetae manu quam maxime alienus. Pro τιμῶςι Herwerdenus, ni memoria fallor, restitui voluit θηρῶςι: sed leniore medela temptare possis φιλοῦςι. Ut vero in reliqua versiculi parte graeci sermonis proprietas resuscitetur, hanc verborum traiectionem commendo:

φιλοῦςι πολλοὶ προςλαβεῖν τέκνων χάριν.

Exempla a me non exspectabis utpote in re nota et aperta: nam προςλαμβάνειν est verbum proprium de uxore, cognato, socio, amico adsciscendis. Nihili autem est πρὸς τέκνων χάριν, quod iam Nauckium video in suspitionem vocasse. Exempla quae adferunt (cf. Dorvillius in Charit. p. 538, Brunckius ad Soph. Antig. v. 30, Hermannus ad Vig. p. 423), partim aliena sunt, partim ex interpolatione profecta, velut Ant. v. 30, ubi Nauckii rationes inspicias. Qui remanent loci, ubi πρὸς χάριν idem significare volunt quod ἕνεκα vel χάριν, hanc locutionem comprobant cum genetivo rei, non personae coniungi: cf. Stephani Thes. VIII p. 1333.

Impeditissima sunt quae leguntur Epicteti verba in flor. 1, 55: κακὸς δεςμὸς cώματος μὲν τύχη, ψυχῆς δὲ κακία. Scire enim velim, quid tandem philosophus dicere videatur eis, qui haec aequo animo legerint. Sed habebimus, unde eliciamus loci et rationem et orationem, si modo ea quae sequuntur verba paulo diligentius examinaverimus: ὁ μὲν γὰρ τὸ cῶμα λελυμένος, τὴν δὲ ψυχὴν δεδεμένος, δοῦλος· ὁ δ᾿ αὖ τὸ cῶμα δεδεμένος, τὴν δὲ ψυχὴν λελυμένος, ἐλεύθερος. Quid iam praecessisse haec putabimus? Nihil aliud, opinor, nisi 'mala quidem vincula corporis, animi autem peiora.' Huic enim ipsi sententiae causam dilucide subiectam esse videbamus. Reddemus igitur me suasore Epicteto: κακὸς δεςμὸς cώματος μέν, ψυχῆς δὲ κακίων. Et aperta est

ansa corruptelae. τύχη enim, quo nihil hic ineptius inveniri potest, dittographia quadam ante ψυχῆϲ inlatum est, dein κακίων abiit in κακία.

In longiore Menandri fragmento, quod exstat in flor. 22, 19 et 118, 10, pecunia omnium rerum quemvis usum parari posse dicitur, vitae diuturnitatem non item. Audi enim ipse:

ἀθαναϲίαϲ δ᾽ οὐκ ἔϲτιν, οὐδ᾽ ἂν ϲυναγάγηϲ
τὰ Ταντάλου τάλαντ᾽ ἐκεῖνα λεγόμενα.
ἀλλ᾽ ἀποθανῇ καὶ ταῦτα καταλείψειϲ τιϲίν.

Sic altero loco Stobaeus (flor. 118, 10). Meinekius pro ταῦτα maluit πάντα. Optime me iudice, nisi servato ταῦτα praestat:

ἀλλ᾽ ἀποθανεῖ καὶ ταῦτα καταλείψων τιϲίν

'haec quoque relicturus'. Iuvat similem Philemonis locum subicere item a Stobaeo servatum flor. 97, 19 v. 5 sq.: εἶτα μετὰ ταῦτ᾽ εὐθύϲ (τιϲ) εὑρέθη θανών, | ἄλλοιϲ καταλείψαϲ εἰϲ τρυφὴν τὴν οὐϲίαν. Sic enim cum Meinekio prior versiculus supplendus erit.

Epicharmi tres tetrametri pessime habiti sunt a librariis in flor. 38, 21:

τίϲ δ᾽ ἐγκαλοίη γενέϲθαι μὴ φθονούμενοϲ, φίλοι;
δῆλον ὡϲ ἀνὴρ γὰρ οὐδείϲ ἐϲθ᾽ ὁ μὴ φθονούμενοϲ.
τυφλὸν ἠλέηϲέ τιϲ ἰδών, ἐφθόνηϲε δ᾽ οὐδὲ εἷϲ.

Ac v. 1 egregio acumine restituit Porsonus τίϲ δέ κα λῴη e. q. s. Deinde in versu qui sequitur eleganter Meinekius temptavit δῆλον ὡϲ ἄπηροϲ οὐδείϲ ἐϲθ᾽ e. q. s. Nec tamen verum hoc esse existimo. Etiam pressius sequere mecum litterarum vestigia: iam elucebit

δῆλον ὡϲ ἀνὴρ παρ᾽ οὐδέν ἐϲθ᾽ ὁ μὴ φθονούμενοϲ.*)

Et ad verba et ad sententiam haud incommode componetur Dionysii illud in Stob. flor. 38, 2: τοῖϲ οὐδὲν οὖϲιν οὐδὲ εἷϲ ὅλωϲ φθονεῖ. Ceterum iure, ut videtur, Cobetus in Epicharmi versu tertio maluit (Mnem. vol. IX p. 121) τυφλὸν ἠλέηϲ᾽ ἰδών τιϲ e. q. s.

Versuum verus ordo turbatus est, ni multum fallor, in Menandri loco (flor. 70, 7):

δύ᾽ ἔϲθ᾽, ἃ κρῖναι τὸν γαμεῖν μέλλοντα δεῖ,
ἤτοι προϲηνὴϲ ὄψιϲ ἢ χρηϲτὸϲ τρόποϲ·
τὴν γὰρ ὁμόνοιαν τὴν πρὸϲ ἀλλήλουϲ ποιεῖ.

---

*) Vix praeferam quod coniecit Madvigius Advers. crit. I p. 718: δῆλον ὡϲ ἀνὴρ παροφθείϲ ἐϲθ᾽ ὁ μὴ φθονούμενοϲ.

Emendandi viam praeivit Bentleius. Reposuit enim quod scripsimus ἔcθ', ἃ pro ἔcτι, quod habent A et Voss. (ἔcτ' ἃ vulgo); item προcηνὴc ὄψιc ἢ χρηcτὸc τρόποc, quorum loco libri barbare exhibent προcηνὴν (sic) ὄψιν ἢ χρηcτὸν τρόπον. Nec tamen persanatus sic locus evasit. Molesta est post verba ἃ κρῖναι τὸν γαμεῖν μέλλοντα δεῖ casus recti conlocatio, nec commode nunc verbum ποιεῖ ad δύο illa retrahitur. Frustra vero esses, si cum Elmsleio scriberes ἤτοι προcηνῆ γ' ὄψιν ἢ χρηcτὸν τρόπον, quamquam id in textum recepit Meinekius. Recte enim Cobetus (Mnem. vol. IV p. 246) 'comici' inquit 'qui sexcenties ἤτοι — ἢ componere solent, numquam γε addiderunt.' Difficultates, puto, evanescent tali versuum ordine restituto:

δύ' ἔcθ', ἃ κρῖναι τὸν γαμεῖν μέλλοντα δεῖ·
τὴν γὰρ ὁμόνοιαν τὴν πρὸc ἀλλήλουc ποιεῖ
ἤτοι προcηνὴc ὄψιc ἢ χρηcτὸc τρόποc.

Videtur lector aliquis parum eruditus, ut obiecti vice ad κρῖναι verbum retraheret quae leguntur ἤτοι προcηνὴc ὄψιc e. q. s., tertium versum loco secundo posuisse. Fortasse idem rudem illam lectionem intrusit ἤτοι προcηνὴν ὄψιν ἢ χρηcτὸν τρόπον.*)

---

*) Nescio an similis olim error commissus sit in Babrii fabula 127 ed. Schneidew., quam in infima pagina adscribam:

Ὁδοιπορῶν ἄνθρωποc εἰc ἐρημίαν
ἑcτῶcαν εὗρε τὴν Ἀληθίην μούνην.
καί φηcιν αὐτῇ 'διὰ τίν' αἰτίην, γραῖα,
τὴν πόλιν ἀφεῖcα τὴν ἐρημίαν ναίειc;'
ἡ δ' εὐθὺ πρὸc τάδ' εἶπεν ἡ βαθυγνώμων
'ὅτι πρὸ τοῦ μὲν παρ' ὀλίγοιcιν ἦν ψεῦδοc,
νῦν δ' εἰc ἅπαντα βροτὸν ἐλήλυθε ψεῦδοc.
εἰ δ' ἔcτιν εἰπεῖν καὶ κλύειν ἐμοῦ βούλῃ,
ὁ νῦν πονηρὸc βίοτόc ἐcτιν ἀνθρώπων.'

Complura ibi sunt, quae vehementer displicent. Primum aegre fertur versus sexti et septimi eadem clausula quae est ψεῦδοc. Ineptissimus vero est versus nonus, quem versui sexto non recte opponi neminem fugit. Eoque minus ferri potest, quod eum praecedunt verba εἰ δ' ἔcτιν εἰπεῖν e. q. s. Novi igitur aliquid et gravioris momenti exspectatur, non iners similis sententiae iteratio. Cum vero versus septimus (νῦν δ' εἰc ἅπαντα e. q. s.) nemini suspectus esse possit (paraphrastae autem ed. Halm. p. 155 notus fuit), iam tali ordine versus olim lectos fuisse conicimus:

ὅτι πρὸ τοῦ μὲν παρ' ὀλίγοιcιν ἦν ψεῦδοc,
εἰ δ' ἔcτιν εἰπεῖν καὶ κλύειν ἐμοῦ βούλῃ,
νῦν [δ'] εἰc ἅπαντα βροτὸν ἐλήλυθε ψεῦδοc.

In Euripidis pervulgata illa sententia, quae est in flor. 120, 18 (fr. 830 N.):

τίς δ' οἶδεν εἰ ζῆν τοῦθ' ὃ κέκληται θανεῖν,
τὸ ζῆν δὲ θνήσκειν ἐστί; πλὴν ὅμως βροτῶν
νοσοῦσιν οἱ βλέποντες, οἱ δ' ὀλωλότες
οὐδὲν νοσοῦσιν οὐδὲ κέκτηνται κακά

quid sibi velint verba πλὴν ὅμως, intellegi nequit. Temptavit aliquid Herwerdenus Exerc. crit. p. 63: sed coniectura utitur tamquam extorta et fracta: τὸ ζῆν δὲ θνήσκειν ἔστ'; ἐπεὶ μόνοι e. q. s. Verum mihi videtur:

τὸ ζῆν δὲ θνήσκειν ἐστί; δῆλον ὡς βροτῶν
νοσοῦσιν οἱ βλέποντες e. q. s.

Palamedis Euripideae (fr. 585 N.) hoc legitur fragmentum apud Stob. flor. 54, 8:

στρατηλάται τἂν μυρίοι γενοίμεθα,
σοφὸς δ' ἂν εἷς ἢ δύ' ἐν μακρῷ χρόνῳ.

Quod Meinekius suasit γενοίατο, neque litteris neque sententia loci satis commendatur. Lege mecum: στρατηλάται τἂν μυρίοι γένοινθ' ἅμα, | σοφὸς δ' ἂν εἷς τις ἢ δύ' ἐν μακρῷ χρόνῳ.

Stobaeo si fidem habebimus (flor. 108, 19), tales versus procudit Euripides in Aeolo sua:

μοχθεῖν ἀνάγκη· τὰς δὲ δαιμόνων τύχας
ὅστις | φέρει || κάλλιστ', | ἀνὴρ || οὗτος | σοφός.

Nolo hic tritissimas versus senarii leges denuo decantare, quamquam quaestionem de iambica caesura illam vel hodie aliquis non sine fructu tamquam retexere possit. Haud pauci enim sunt (id quod nemo ignorat) tragicorum versus, quos legitima quae praevalet incisione ipsi carere voluerunt poetae, neque talis arrythmiae causa in obscuro est: hunc (ὅστις—σοφός), cuius membra ne dipodiis quidem tantum, sed singulis pedibus terminantur, Euripidis esse credant alii. Sic igitur suam illi versui speciem redintegro:

ὅστις φέρει κάλλιστα, τόνδ' ἡγοῦ σοφόν.

Quamquam scio plus una ratione poetam evitare potuisse versum

---

Ut errore olim commisso versus extremus aliena manu postea adspersus sit. Quae ratio si cui artificiosior videbitur, nihil relinquetur nisi ut utrumque versum eliminet, et octavum et nonum. Sic iteratio nominis ψεῦδος satis excusationis (ne dicam commendationis) habebit ab extremae sententiae gravitate. Cf. A. Eberhardus Observ. Babr. p. 18.

innumerum. Peculiare erroris genus in hunc locum inrepsit, quod etsi non animus est nunc cum pulvisculo ut aiunt exhaurire, tamen ne plane omittam, versus ille me monet. Nimirum cum haud pauci poetarum versus, quos superiore aliquo loco excerpserat, librarii (nisi males de ipso compilatore cogitare) memoriae inhaererent, vide quam facile fieri potuerit ut, cum subinde alios locos plus minusve similes libro suo insereret, hos cum illis memoria deceptus confunderet. Velut in flor. 91, 21 recte legitur: κύκλῳ γὰρ ἕρπει (sc. τὰ χρήματα), τῷ μὲν ἔcθ', ὃ δ' οὐκ ἔχει e. q. s. Hinc vero inlatum est prius hemistichium in floril. 105, 19, ubi falso libri exhibent κύκλῳ γὰρ ἕρπει καρπίμοις τε γῆς φυτοῖς | θνητῶν τε γενεᾷ pro eis quae sententia postulat κύκλος γὰρ αὐτὸς καρπίμοις τε γῆς φυτοῖς e. q. s. Et leguntur haec ap. Plut. Mor. p. 104 B. Nunc hos duos locos inter se compara:

flor. 3, 20

ὅ c τ ι c ν έ μ ε ι κ ά λ λ ι c τ α τὴν αὑτοῦ φύσιν,
ο ὗ τ ο c c ο φ ὸ c πέφυκε πρὸς τὸ συμφέρον.

flor. 108, 19

μοχθεῖν ἀνάγκη· τὰς δὲ δαιμόνων τύχας
ὅ c τ ι c φ έ ρ ε ι κ ά λ λ ι c τ' ἀνὴρ ο ὗ τ ο c c ο φ ό c —:

iam manifestum erit, unde conflatus sit versus pessimus. Et sic alii cum eclogarum tum florilegii loci, quos hodie mitto, invicem se conlustrare poterunt. Sed ad senarii caesuram redeo. Saepe numero autem in Stobaei libris versuum caesurae damnum inlatum esse patet. Si quaeris remedium, haud raro illud verborum satis leni traiectione paritur. Sic corrigendum esse fortasse Euripidis fragmentum (269 N.), quod exstat in flor. 43, 12, nuper monuimus, quode vide Nauckium vel Dindorfium. Pauca alia eius generis subnectam. Sophoclis versus in flor. 77, 9 talis legitur: οὐ δὴ νόθος τοῖς γνησίοις ἴσον σθένει, ubi articulum a nomine suo caesura dirimi durum esset. Recte igitur Nauckius rescripsit: οὐ δὴ νόθος τ ι c γνησίοις ἴσον σθένει (cf. de trag. Graec. fr. observ. crit. p. 15 sq.), et suppeditat hoc codex A, qui praebet οὐ δὴ νόθος τις τοῖς e. q. s. Menandri versus in flor. 73, 40 tali verborum ordine progreditur: χάριν παρὰ γυναικὸς κομιεῖσθαι; μὴ μόνον, ubi et sententia et rhythmus pariter commendant: χάριν κομιεῖσθαι παρὰ γυναικός; μὴ μόνον. Et vidit hoc ante me Cobetus. Item legitima tome destitutus est E u r i p i d e i fragmenti versus secundus in Stob. flor. 68, 12:

νόμοι γυναικῶν οὐ καλῶς κεῖνται πέρι.
χρῆν γὰρ τὸν εὐτυχοῦνθ' ὅπως πλείστας ἔχειν
γυναῖκας, εἴπερ e. q. s.

Sed est haec criticorum prava coniectura, quamvis editoribus hodie probata. Codices enim exhibent χρὴ γὰρ τὸν εὐτυχοῦνθ' ὅτι πλείστας ἔχειν, in quibus χρὴ istud quidem recte in χρῆν mutavit Grotius, ὅτι falso in ὅπως Erfurdtius. Nimirum sine dubio reponendum erat, ὅτι vocula ubi est relicta:

τὸν εὐτυχοῦντα χρῆν γὰρ ὅτι πλείστας ἔχειν
γυναῖκας, εἴπερ e. q. s.

De spondeo quinto post tribrachum pedis quarti, quem 'numquam data opera vitatum esse' multis et certis exemplis constat, cf. C. F. Muellerus de ped. sol. in dial. senar. Aesch. Soph. Eur. p. 75 vel G. Dindorfius de metr. poet. scen. (Poet. scen. ed. V) p. 35. Ceterum in tertio versu verum esse εἴπερ δώμασιν τροφὴ παρῆν mea quoque olim coniectura fuit (εἴπερ τροφὴ δόμοις A, Trinc., εἴπερ δὴ τροφὴ δόμοις B): quam tamen occupavit Nauckius in Addend. ad trag. Graec. fragm. p. XV.